Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Wilhelm Christian Justus Chrysander Matthias Fries

Facultatis Theologicae h. t. Decani, D. Wilhelm. Christian. Justi Chrysandri, ... De Actis In Sextiduo Creatorio

Kiliae Holsatorum: Bartschius, 1773

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0001
DFG

W. 223 p
19 p
28 p
88 p

Facult.

F-C-1327'-4

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn825845246/phys_0002
DFG

FACVLTATIS THEOLOGICÆ h. t. DECANI,

D. WILHELM. CHRISTIAN. JVSTI CHRYSANDRI,

CAESAREAE CELSITVD. PRINCIPI CONSILIARII IN CONSISTORIO ECCLESIASTICO, PROFESSORIS PRIMARII S. S. THEOLOGIAE, NEC NON PHILOLOGIAE SACRAE,

Διάσκεψις

DE ACTIS

IN

SEXTIDVO CREATORIO.

QVA PRAEVIA,

EX DECRETO FACVLTATIS THEOLOGICÆ,

SVMMOS

IN THEOLOGIA

HONORES

VIRO MAXIME REVERENDO ATQVE DOCTISSIMO

MATTHIAE FRIES,

PRAEPOSITO ECCLESIASTICO TRACTVI FLENSBVRGENSIVM AC BREDSTADIENSIVM LONGE DIGNISSIMO AC MERITISSIMO, FLENSBVRGI PASTORI AD AEDEM DIVAE MARIAE VIRGINIS PRIMARIO, FIDELISSIMO ATQVE VIGILANTISSIMO,

COLLATVM IRI,

SIGNIFICAT.

KILIAE HOLSATORVM, 1773.
LITTERIS MICH. FRIEDER. BARTSCHII,
ACAD. TYPOGR.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0005
DFG

CREATIO est totius universi *productio partim ex nihilo, partim ex materia ob diversitatem naturæ per se inepta, solo Dei creantis imperio* (a) *facta*, intra sextiduum. (b) Differt igitur Creatio ab aliis procreationibus & productionibus; atque duobus criteriis discernitur. Primum est, ut sit *translatio rei non existentis ex* NIHILO, sive materiali sive formali, *in statum existentiæ.* Alterum, ut ea fiat sola VOLVNTATE & immediata vi proloquentis Dei. Apoc. 4. 11. Ebr. 11. 3. Quod resuscitatio innumerorum corporum humanorum demortuorum per *vocem* Christi Joh. 5, 21. 28. 29. *vera & magna* CREATIO futura sit; quodque idem variis, per solum actum voluntatis suæ heic editis, miraculis sæpius CREATOREM egerit ex Nullo, & per naturam inhabili, hinc facile patescit.

Definitio creationis.

(a) Moses, dum utitur voce וַיֹּאמֶר *& edixit, mandavit* aliquis, quem in historia creationis 33 vicibus *Elohim* vocat, hoc ipso vocabulo, improprie haud sumendo,

1) removet illam opinionem, quasi casu quodam & sua sponte res *esse*, ac temere concursare frusta, *cohæresçere* globatique cœperint.

2) Docet, Deum distinguendum esse a mundo, *minimeque* esse *partem ejus.* Loquens enim manifesto differt ab eo, quod loquela loquentis conditum est.

3) Condocet, creatorem extra-mundanum esse *Substantiam*, neque pro Accidente haberi posse. Loqui enim est personæ.

4) Eadem voce declaratur, rerum finitarum universitatem a caussa sapiente, volente & præpotente esse ortam. Nam *dicere* est *intelligentis; jubere, volentis;* atque jussione efficere tanta, *potentis* Domini.

(b) Sextiduum, quod Deus Trinunus successivis creatoriis actionibus impendit, ex libertimo mysteriique pleno consilio, *proprie* intelligendum est, hoc est, sapientissimus opifex mundi temporis spatium insumsit operationibus suis, quod æquale est ei, quo *Tellus motum vertiginis circa centrum & axim sexies absolvere assolet.* Proprios dies sex intelligendos esse, patet ex eo, quod institutio Sabbathi, post Sex quosque dies proprios, die septimo celebrandi, Exod. XX. 11, fundatur in hac ratione: *Memor sis Sabbathi, ut sanctifices illud.* Nam *in sex diebus creavit Deus cœlum & terram & die septimo quievit.*

Connexio cum prægressa diss.

Versabimur autem in ORDINE creationis divinitus revelato, ulterius exponendo.

p. 30.

Duo illa, quæ alibi præmonuimus, heic tenuisse expedit. Primum est, (de *Objecto* narratæ creationis,) quod creatio non nisi, SENSIBILIVM VISIBILIVMque a Mose tradatur, ipsius scopo conformiter. Angelorum ἀοράτων igitur creationem præteriit; ex aliis divinarum Pandectarum locis, e. c, Colos. 1. 16. certissimam.

Alterum, (quod *ordinem* actuum creatoriorum harum rerum aspectabilium concernit,) hoc est: Quamvis scriptor θεόπνευστος *Telluris* nostræ conformationem sigillatim atque ex instituto referat, tamen verisimilli-

similimum esse, quod *eodem ordine* in reliquis universi Systematibus mundanis, corporibusque Totalibus, (quippe quæ in voce שָׁמַיִם commemorantur Gen. 1. 1, & simultaneo invicem *nexu* ad constituendum unum universum cohærent,) eadem θαυματεργήματα creatoria, similesque mutationes contigerint, & quidem intra idem ipsum Sextiduum, & ad eundem Dei nutum, quæ in globo nostro Terraqueo intra Hexaëmeron evenerunt. E. g. eodem die primo Revolutio Mercurii, Martisque circa axem suum, nec minus in aliis corporibus opacis, quæ ad nostrum Systema planetarium non pertinent, contigit. Die secundo universa corpora opaca aqueo-terrea ambire cœpit *aër*, & unaquæque, ut cepæ bulbis, atmosphæratum stratis inclusa sunt.

Vulgatus ille uterque versiculus memorialis, qui juventuti inculcari solet,

Am ersten Schœpfungs-Tag sprach Gott, es werde Licht,
Am andern ward der Bau des Himmels zugericht,
Der dritte gab der Welt Gras, Bäume, Laub und Kraut
Am vierdten ward darauf das Firmament gebaut;
LVX, COELVM, TELLVS, SIDERA, PISCIS, HOMO;

vero sensui historiæ Mosaicæ haud est conformis. Singulis ille lineis partim defectu, partim excessu, seu perperam asserto peccat. Accuratiore autem versione & Exegesi heic præmissa, veriorem versiculum substituere haud erit difficile.

Quænam primo triduo Hexaëmeri Creatorii condita peractaque sint, in priori dissertatione de *Magnificentia Creationis ex Nihilo* jam explanare cœpimus pag. 40--48. Liceat ad hanc, fusiusque ibi exposita, remittere heic benevolum lectorem, subinde.

§. 1.

DIE PRIMO.

Die primo tria Supremi Numinis Edicta & Imperia audire videmur:

1) *Adeſte* SPHAERAE *univerſæ!* globorum Septilliones.

2) *Adeſto* LVX! (nondum lumen & Luminare.)

3) Vos, o globi producti *turbinate circa proprium axem* veſtrum! Præſtitaque ſunt παντοκρατορικῷ Numinis βελήματι tria: GLOBI, LVX, ROTATIO.

§. 2.

I. globus terraqueus ipſe eſt productus. & reliqua στοιχεῖα.

I. TELLVS noſtra ſphærica die primo in inſtanti creata eſt, & ſimul reliqua corpora Totalia (a) ſphærica opaca, quotquot ſupra nobis exſiſtunt. Nec minus ea, quæ die 4to luce obducta ſunt & opaca eſſe deſierunt. (Diſſ. cit. p. 19. 40.) Refert enim Moſes, Gen. I. 1. ita: *In initio*, minime præexſiſtente ſed nunc coëxſiſtente, quum nihil, præter Deum, exſiſteret, (eſt enim בְּרֵאשִׁית idem, quod מֵאַיִן ex nihilo; (vid. diſſ. cit. p. 31--31.) *creavit*, *ſuprema veneratione digna*, *divina Trinitas* (b) hos cœlos, הַשָּׁמַיִם (c) hoc eſt, *cœleſtia corpora* univerſa, in altitudinibus conſtituta corpora, τὰ ἐν τοῖς ὑψανοῖς. *Et* eodem actu eodemque ipſo momento creavit *hanc* ipſam TERRAM, corpus primitivo in ortu ſuo ſtatim orbiculare; quamquam indigeſtum primo atque tenebricoſum. Vetuſtiſſimæ igitur creaturæ ſunt aqua terraque. De loco Magnalium mundi corporum primævo tacet Moſes. Probabile autem, ea in eo ipſo loco ſyſtematico, quo nunc ſunt, ſtatim præſto fuiſſe, quum voluntas ſapientiſſimi ea ad exſiſtentiam perduceret. Nam mundus dicitur Ebr. 11, 3. *verbo Dei* non ſolum generatim

juſto loco,

ex

ex nihilo *factus*, sed etiam κατηρτισθαι ordine destinato & artificioso DISPOSITVS. (Vid. Diss. pag. 34.) Quæ quum ita sint, Tellus eo statim loco apparuit, quo circiter 11000 Diametris Terræ aberat ab eo corpore, quod destinatum erat, vt Sol evaderet. (p. 46.) Eo loco, quo a Luna distabat 61 Semidiametris Terræ. §. 22. Tantum, terra distantia sua media, hodie a Luna abest. Quodsi igitur $30\frac{1}{2}$ globi Terræ sibimet ipsis in linea recta imponerentur, haberes scalam seu tramitem, qui ad ipsam Lunam pertingeret.

(a) Obmutescant igitur Sociniſtæ illi! qui venditant, nullam a Mose fieri mentionem creationis *materiæ*, & ex hoc, perperam ficto, silentio colligunt, materiam ante creationem mundi exstitisse, adeo, ut Deus potius architectus mundi, quam Creator dicendus sit; Ex hac autem sumta æternitate materiæ mundanæ eliciunt, Thesin nostram, *Quidquid ante creationem mundi fuit, illud est Deus*, esse falsam; hinc porro inferunt: *E præexsistentia Christi ante creationem mundi, e N. T. tam certa, non sequi ejusdem Deitatem.* Nonne illi ipsi corporei globi sunt, una cum forma, *materia*? Nonne igitur Moses disertissimam mentionem materiæ fecisse existimandus est?

(b) Sic אֱלֹהִים Σέβασμα trinum, *Ternio veneranda*, majestatica, convertitur merito. Radix *alaha* אָלָה לאה notat *colere*, *venerari*, *adorare*. Pluralis autem Hebræorum, quippe qui Duali nequaquam destituuntur, saltem *tres* indicat.

(c) *Schamajim:* notat 1) *celsitudines*, sublimitates. 2) *Spatia superiora*, regiones notabiliter supra terram elatas seu cœlum stelliferum. 3) Contenta illius cœli, CORPORA TOTALIA *in sublimi collocata* Ps. 19, 2. Jes. 44, 19. 24. C. 45, 12. 18. a שָׁמָה *eminere*, unde & שֵׁם *nomen* & eminentia. Radix est arabibus سما SAMAA *extulit se*, *eminuit*, *altum esse*. Quamvis enim *Sch* שׁ Hebræorum sæpe apud Arabes per ش servetur (vid. Alb. SCHVLTENS in *clave Dialectorum* pag.

300 sq.) Sæpissime tamen mutatur in س. Non solum Latina vox SVMMVS concordat cum illo *Sama* altus, sed semina propaginesque hujus radicis שָׁמָה alibi quoque in vetustioribus linguis reperias. E.c. STRABO de insula SAMVS & Samo-Thracia ex mente Homeri loquens, commemorat, τὰς Σάμας καλεῖσθαι ὕψη altitudines vocari Samos, & insulam Samum adeptam esse nomen a sublimitate. Strabo Geograph. libro 10. pag. 315. (Atrebati 1587 fol.) Πιθανώτεροι δ'εἰσιν οἱ, ἀπὸ τῆς Σάμας καλεῖσθαι τὰ ὕψη, φήσαντες.

§. 3.

quamquam *rudis, vacuus, tenebricosus, & instabilis.*

Pergit Moses Gen. 1. 2. quatuor defectus in Tellure annotare. Commemorat defectum 1) varii *ornamenti*, & 2) *creaturarum* variarum in globo terestri. 3) Defectum *lucis*. 4) Defectum firmitatis habitabilis. Hoc enim innuunt ipsius v. 2. divinitus traditæ enuntiationes: „SED (a) *hæc* (modo producta) *Terra erat* 1) תֹהוּ *deformitas*, seu absentia formarum debitarum. (Comparative nimirum, si statum insequentem consideraveris, maxime deformis erat Terra, carens illa exacta forma, quam deinde est adepta.) 2) בֹהוּ (a radice בָּהַו vacuum esse. vid. diss. pag. 4) *Inanitasque*! seu prorsus vacua & nuda. 3) & 4) *Ac tenebræ* חֹשֶׁךְ (ab inhorrescendo dictæ) (*) *erant in superficie*

(*) Radix hujus vocis latet sub Arabica radice per س expressa, חָשַׁךְ *horruit, horrente fuit asperitate, asper fuit* HORRENTIBVS STRINGENTIBVSQVE ACVLEIS, quod Golius omisit. Hinc Arabibus حسك notat *erinaceum*. Aliud derivatum apud eosdem est, حاسك quod notat stridulum, spinis horridum, nec minus *telum tribus* aculeis seu *cuspidibus feriens*. חֹשֶׁךְ igitur primo notat *asperitatem* aculeatam & horrentem, deinde *caliginem horrentem*, ingratam, & aculeato horrore tenebricoso quasi perpungentem. Sic Jes. 5, 30. & *ecce* צַר חָשַׁךְ; *caligo perstringit*. conf. Job. 3. 4.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0012
DFG

cie (b) תְּהוֹם (vid. differt. p.41.) corporis *profundissimi* (c) aquosi (der nachgebenden Schlamm-Tiefe) ad cujus fundum haud facile penetrari potuisset deorsum versus, quod tunc quidem ab hominibus inhabitari haud potuisset. Tenebræ, inquam, erant super hoc ipso globo terraqueo universo, qui tunc erat atheræ similis, aquæ permixtus, mollis ac pinguis massa, & abyssus, seu corpus inæstimabilis profunditatis.

(a) Celeberr. *Joh. David* MICHAELIS (in eleganti versione Germanica V. T. Parte II. Gœttingæ 1770. pag. 1.) vertit: *Die Erde war damals wüste und leer.* Vel igitur τὸ (ו) per *tunc* convertit, vel plane omisit. Licet autem illa significatio, pro nexu quorundam locorum, illi copulæ competat, hoc tamen loco τὸ ו rectius habetur pro particula *restrictiva, discretiva & adversativa*, simulque conjunctiva. Denotat SED, prout plurimis locis e. c. Gen. 3, 2. וּמִפְּרִי SED *de fructu.* C. 30, 3. C. 42, 10. Exod. 12, 18. C. 14, 8. Es. 9, 10. C. 29, 13. C. 53, 5. Zach. 8, 19. Mal. 1. 2. 3. Ps. 62, 5. Connexio hoc efflagitat. Nam Moses in eo est, vt qualitatem & *statum* rei nunc creatæ, per annotationem defectuum ejus nobis depingat; q. d. Dixi creatam esse Tellurem. *Sed* nolite putare, lectores! terram protinus in omnimoda perfectione productam fuisse.

Minime autem insuper habenda erat hæc Conjunctio *Et*, SED, deliberatissimo consilio ab Historico θεοπνεύστῳ adhibita. Declarat ea, (conf. diss. pag. 15.) Mosen hoc versiculo secundo reverti ad eandem Terram, quam jamjam dixerat versu 1. a Deo creatam esse. Declarat, versiculum primum minime continere Introductionem generalem in specialem narrationem. Ostendit ea, illum v. 1. nequaquam Proleptice intelligendam esse, quasi Gen. 11. universæ creationis compendium ob oculos poneretur, quæ deinceps sigillatim per singulos dies explicaretur.

Sic labitur D. *Carl Frid.* BAHRDT *im Versuch eines Biblischen Systems der Dogmatic* (1771. 8.) pag. 213, *Der erste vers*, inquiens, *hat weiter keine Verbindung mit der Schöpfungs-Historie;* Indicare istum

dumtaxat, *daß das All von Gott herkomme.* Subjicit alium errorem (in dissert. nostra jam refutatum pag. 15.) quasi λέξεις cœlum & terra *collective* sumendæ sint. Ipse etiam b. *Johann. Frid. Wucherer*, Professor Jenensis in *historia creationis, observationibus physicis illustrata* (Jenæ 1728. 4.) p. 4. opinatus est, verba: *In principio creavit Deus cœlum & terram*, complecti Inscriptionem creationis. Ejusdem parhermeniæ reus est *Samuel* NELSON, *in der Anti-Deistischen Bibel*, Tomo I. in Genesin, (*Erlangen* 1766 4. *aus dem Englischen übersezt von G. W. Panzer*) scriptitans pag. 7. *Der erste Vers enthält keinen Theil der Schöpfungs-Geschichte. Wenn wir eigentlich reden wollen, so fängt die Schöpfungs-Geschichte mit* v. 2. an. Hæc autem precaria hypothesis refellitur

1) istâ fibula, particula (1) *sed*, quæ adhiberi a Mose non potuisset, nisi Terra jam creata supponeretur, & nunc status creatæ Terræ hujus post primo-primum actum creatorium, exponendus esset. Indicio illa est, versum primum ad creationis Historiam utique pertinere, & versum alterum ejusdem ulteriorem enarrationem continuare. q. d. *In primordio* omnium rerum finitarum *creavit Deus hæc cælestia corpora, & hanc terram. Sed hanc* ipsam terram, modo commemoratam, isto primo creationis actu nondum in ista perfectione exhibuit, ad quam eam deinde efformavit atque deduxit. Erat destituta primum ornamento, luce, usu.

2) Apogogice, sic argumentando: Si Gen. 1. 1. non describitur INITIVM CREATIONIS, sequitur, *quod Terra vel ante hexaëmeron creata sit, vel Deo coæterna & plane non creata sit.* Atqui falsum est utrumque posterius, ergo falsum est prius, nimirum Gen 1. 1. tantum esse Prolepsin, minime sistentem initium creationis. Si enim Gen. 1, 1. in verbis בָּרָא הָאָרֶץ non daretur narratio, quod Deus Terræ exsistentiæ initium dederit, nuspiam Moses narrasset, Terram a Deo creatam esse.

(b) Ex his tenebris panicis innotescit, particulas lucis globo Telluris creatæ haud infuisse, seu primitus concreatas ingenitasque haud fuisse, quod

quod quidam vel eorum defensum eunt, qui Solem nostrum *totum* arbitrantur igneum esse. Adeoque non facio cum D. Bahrdt lib. cit. p. 216. qui sic de prima luce: *Ich glaube, Gott hat die Feuertheile von der übrigen Maße abgesondert.* Nam si particulæ igneæ & lucidæ globo terrestri jam infuissent, & deinceps die primo demum ex eodem provocatæ, elicitæ, extractæ & seorsim inde prodire tantum jussæ essent, non potuisset terra *tenebricosa* fuisse atque tenebris oppleta. Lucida profecta fuisset terra jam tunc temporis. Quippe copia lucis, deinde & hodienum exsistentis, si sol totus igneus est, excedit massam universam terræ & aquæ globi terraquei. *Isaacus* NEWTON, ὁ πάνυ, docuit, quod Solis materia ad materiam universorum Planetarum, a sole pendentium, in unum volumen conjectorum se habeat vt 650 ad 1. Confer. *Joh. Christoph.* JAENICHEN *Protogæam, novo specimine argumentis mathematicis & philosophicis retractatam.* (Vitebergæ 1760. 4.)

(c) תְּהוֹם *vid. diss. cit. p. 41.* Hæc vox cognata est cum radice Arabica تهم TAHIMA, *fœtuit* os, *attonitus fuit.* vid. *Joh. Abrah.* KROMAYERVM *de usu linguæ Arabicæ* (1707. 4.) ad Job. 28. 4. pag. 170. vel cum ܗܡܐ HAMAA, *fluctuavit.* Notatque

1) generatim, Profundum seu *Profunditatem.* e. c. Jes. 51. 10. מֵי תְהוֹם *aquæ profunditatis.* 2) Speciatim profundam *aquam* Gen. 7, 11. C. 8, 2; eam, quæ Jonam moribundum circumcinxit. Jon. 2, 6. cujus superficies congelatur Job. 38, 30. mare rubrum, Ps. 106, 9. *Transire fecit eos per* PROFVNDITATES, *quasi eæ essent desertum* siccum; Lacus varios Palæstinæ, Deut. 8, 9. Jes. 63, 13. Aequora Ps. 33, 7. *Posuit in thesauris* תהמות *profundas undas.* Hinc facile collectu, quod hæc vox etiam profundam materiam quamcumque denotare queat, & de pulmentis profundissimis, si qua essent, adhiberi queat; ut propemodum idem sit, quod רָוֶה *irriguum, exuberans,* רֹטֵב *humidum* טְרִיָּה *humens,* לָשַׁד *humor,* זַרְזִיף *irrigatio,* sed profunditate heic

 conjun-

conjuncta. Sic etiam accepit, b. *Joh. Guſtav.* REINBECK *in d. Betrachtungen über die Augspurgiſche Confeſſion* Parte I. Betr. 14. pag. 225. (Berlin 1733. 4.:) *weil wir v. 9. finden, daß erſt am dritten Tage das Trockene von den Waſſern ſey geſchieden worden, ſo erkennet man daraus leicht, daß am erſten Tage noch alles auf der Erdkugel unter einander müſſe vermiſcht, und* WIE EIN SVMPFIGER *Morraſt müſſe geweſen ſeyn. Da war noch nichts von einander unterſchieden. Da war noch keine Feſtigkeit, darauf jemand hätte Fuß faſſen oder wohnen können. Um welcher Beſchaffenheit willen die Erde eine* TIEFE *oder ein Abgrund genennet wird.* Vetuſtiſſimi quoque philoſophi quidam Phœnicum, Ægyptiorum & Græcorum, *Archelaus*, *Apollonius*, *Anaxagoras* ſtatuere, ex limo terram ſolidam primitus compactam fuiſſe. Sanchoniathon eum vocat ὕλην, ὑδατώδης μίξεως σῆψιν.

§. 4.

Gen. 1. 2. *Vim effectricem Spiritu Dei continuante,*

Et Spiritus (a) majeſtaticæ Trinitatis *divinæ*, Deus inviſibilis atque omnipotens, immediate potentia ſua abſoluta מְרַחֶפֶת *efficaciter operans erat* in ſuperficie מַיִם aquarum (b) ſeu Telluris aquoſæ humidiſſimæque, quæ inſtar papparii liquida erat, *immeantem*, motricem, calefacientem & vivificantem *actionem inſtituebat*, ποιητικὴν καὶ δημιουργητικὴν δύναμιν adhibens, Tellurem, quaſi incubando & fotu, animabat, atque ſingulares qualitates motusque inteſtinos ei ingenerabat. Idem igitur Deus eadem potentia, qua Tellurem ipſam, una cum exercitu corporum cæleſtium, produxerat, eandem perficiebat & dotabat ingenio admirabili. e. c. Injecit Terræ eam vim, qua adhuc prædita eſt, excipiendi, fovendi, alterandi & vivificandi ſemina excepta, eamque indolem ipſi communicavit, ut ſemina, terræ humore ſolisque calore hodie fota & alterata, vim radicandi & germinandi ſurſum queant feliciter exſerere.

& mundum certis qualitatibus animante,

Indi-

Indidit aquæ peculiarem virtutem. Verbo, Deus immediato concursu suo *legibus motus* generalibus imbuit corpus Telluris.

(a) Similiter Jobi 26, postquam v. 7. dictum, *Er hing die* ERDE *an ihren Mittelpunct*, tribuitur Spiritui Dei efformatio cœlorum pulcherrimorum: v. 13. בְּרוּחוֹ שָׁמַיִם שִׁפְרָה *per Spiritum ejus cœli sunt pulchritudo.* Unde colligas Spiritum Dei, uti fuit מְרַחֶפֶת in Tellure informanda, sic etiam illis corporibus opacis Totalibus, in sublimi collocatis, instruendis & perficiendis æque occupatum fuisse. Quomodo? Hoc ut capiamus, necesse haud est. Sufficit nobis autoritas Gen. 1. 3. revelantis. Neque vero contemnendam duco observationem, רוּחַ aliquo in locorum nexu, notare, æque ac נֶפֶשׁ, *ipseitatem*, q. d. IPSE *Deus*, modo adjungas: quatenus *Spiratio* quædam incomprehensibilis & mysterii plena in eo est, h. e. Spiritus S. Neque damnarem, si quis verteret: Et INSPIRATIO Dei *operans erat*, inductus loco Gen. 41, 38: In Josepho fuit רוּחַ אֱלֹהִים *inspiratio Dei;* Modo maneat actio Dei *immediata*, intelligaturque persona divina *illa*, de qua, in toto Codice sacro, *τὸ inspirare*, *spirarique* frequentatur. Ferendi autem minime sunt, qui heic Gen. 1, 3. creatoriam actionem Dei *mediatam* ope *ventus* vehementis sumunt. (Diss. p. 42.) Inter illas autem objectiones, quibus thesin nostram (*Spiritus Dei immediatas operationes in superficie Telluris agitabat*), petunt, nulla infirmior est nova illa objectione, audacter, pro more sæculi, alicubi proposita, & e genere desumta. h. m.

Spiritus Sanctus non est generis Feminini. (Sed generis Masculini.)

Sed רוּחַ אֱלֹהִים Gen. 1. 3. *ponitur in* FEMININO *genere*, (teste participio מְרַחֶפֶת)

Ergo probabile non est, quod Gen. 1, 3. *persona divina*, SPIRITVSQVE DEI *innuatur* potius, quam ventus.

Respondeatur huic nugivendulæ fallaciæ, 4. *Terminorum* rex:

1) Non *procedit Consequentia a genere Grammatico ad genus*

Physicum; ne ulla quidem in lingua. Ineptum est, e. g. *fornacem*, quia apud Latinos generis Feminini est, habere velle ideo pro *Femina*, vel עַיִן *oculum*, אֶבֶן *lapidem*, יָמִין *dextram*, חֶרֶב *gladium*, נֶפֶשׁ *animam*, quia apud Hebræos voces *femininæ* sunt, numerare inter feminas. Quamvis igitur vox רוּחַ (Communis illa generis, tum masculini, ut Cohel. 12, 7. tum feminini, ut 1 Sam. 1, 8.) in Feminino genere de Sp. S., qui nullius prorsus finiti generis est, adhibeatur, nihil tamen ex Genere illo Grammatico efficitur.

2) Falsum est, *apud Hebræos Grammaticum Femininum semper esse* IGNOBILIVS *Masculino*. Obstant permulta. ἐμφατικώτερα sunt interdum Feminina. Loco Neutrorum ponuntur, ut Ps. 118, 23. & Ps. 27. אַחַת unum petii. Tantum abest, ut infirmitatem indicent ut, Feminina Singularia multitudinem significare soleant, e. c. Deut. 29, 19. Mich. 4, 17. Zeph. 3, 17. Quare nec Spiritu Dei indignum est, vocabulo feminino appellitari.

4) Falsum, quod רוּחַ tantum generis Feminini esse reperiatur, ubi *ventum* indicat. Falsum, quod Spiritus Dei numquam per generis feminini vocem exprimatur.

5) Irrefragabile autem est, in feminino genere רוּחַ אלהים inveniri de DEO e. c. 2 Chron. 24, 20. רוּחַ אלהים לָבְשָׁה *Spiritus Dei induit Zachariam, filium Jojadæ, sacerdotis*, certe non ventus, *ut staret coram populo & diceret illis* — Job. 33, 6. *Spiritus DEI fecit me, & Spiraculum* שַׁדַּי vivificavit me. SCHADDAI omni dubio procul est nomen Dei, notans omnipotentem, a r. שָׁדַד Arabice شدّ *viribus pollere, potentia ac robore valuit;* (*Media* defectiva;) & in II Conjugatione, *roboravit.* Vid. BOCHART *Hierozoic. P II. lib. 4. c. 4.* Unde cognata vox شديد *validus*, & شدّة *robur.* Diciturque Jobi 27, 23. τὸν SCHADDAI *comprehendere non possumus. Magnus est robore. Sed judicio & magnitudine justitiæ* (tamen) *non opprimit*, non sine

ſine cauſa affligit. Sicuti igitur in poſteriori illo Job. 33, 6. hemiſtichio habetur DEVS, ſic etiam in priori.

(b) Tribus nominibus globus terraqueus a Moſe inſignitur. Vocatur אֶרֶץ *terra*, תְּהוֹם *profunditas* inexplorabilis, vocatur מַיִם aquæ ſeu res aquoſæ, hydrophylacium, nempe a ſtatu præſente & ab externa ſpecie, quia hoc corpus totale Telluris adhuc aquoſius, ſuccoſius, colluviare, inebriatum & permadens erat. Nam die tertio demum deſiit eſſe ubicumque humectatum irriguumque.

§. 5.

II. Lvx creata eſt ſeorſim ſeu materia luminoſa & electrica. (vid. pag. 42.) Gen. I. 3. *Et* edixit ſeu *juſſit divina* Trinitas: *ſit* Lvx! præſto ſint ſubtiliſſimi generis (*) particulæ æthereæ, vero igni raritate ſua & indole proximæ, eædemque rapidiſſime commotæ. *Et facta eſt ac præſto fuit lux*, tenuiſſima materia illa, ſuo modo mota. Pſ. 33, 9. Pſ. 148, 5. 2 Cor. 4, 6.

II. *Res nitens & lucens* πρωτοκτισθεῖσα,

Αυτίκα μὲν θάμα μῦθος ἔην, τετέλεσο δὲ ἔργον.

Miſſus erat vix ſermo, & mox opus adſtitit ipſum!

v. 3. *Et vidit ſumme veneranda divina Trinitas*, quæ ideam exemplarem lucis nuspiam extrinſecus acceperat, quod lux טוֹב *bona eſſet*, ſeu perfectionem debitam haberet, ideæ hujus rei, quæ in intellectu divino fuerat, conformiter.

Vox אוֹר amplæ ſignificatus eſt. Quare non unice lucem *ſtricte dictam*, *congeriem globulorum minimorum motu angulatorio procedentium*, ſignificat. Rutilos colores quoque notat. Aurora borealis eſt *congeries halituum prope polum arcticum*, *in atmoſphæra Telluris exiſtentium*, *qui ignem quidem concipere poſſunt*, *actu tamen non ardent*,

(*) Ignis, materia lucis, 30000 vicibus ſubtilior eſt aëre; *Eulero* edocente.

dent, sed instar phosphori tantum lucent. Si ex lingua Hebræa seu 5640, quæ in V. T. exstant, vocabulis, exquirenda esset vox, qua ha. *luculæ boreales* (sæpius accidentes mensibus anni frigidis inter Septembrem & Aprilem, quam calidioribus,) accommodatissime designari possent, certe vox אוֹר adoptanda esset. Nec Moses illam die 1. creatam peculiarem materiam claritatis, vocabulo magis analogico, quam אוֹר, exprimere potuisse videtur.

§. 6.

III. motvs *Terræ circa proprium axem,* vicissitudinem lucis in terra efficiens, instituebatur.

III. Motvs Vertiginis Telluri nostræ eodem die primo impressus est; & per hanc rotationem Telluris circa axem suum, præstita est alternatio luminis in tellure. De hac traditur Gen. 1.4. וַיַּבְדֵּל (a.r. בדל *permutavit, Alternavit*) (Diss. p. 43.) אֱלֹהִים בֵּין הָאוֹר וּבֵין הַחֹשֶׁךְ *Et distinctam vicissitudinem fecit Deus*, in globo terraqueo orbiculari, *inter lucem & tenebras*, inter illuminationis cujusdam præsentiam & absentiam (pag. 43.) Effectus a Mose indicatur, medium autem, quo hic effectus productus fuit, reticetur, quia facile ex ipso effectu colligitur. Fecit autem eam eo ipso medio ac modo, quo adhuc ea præstatur, nempe motu Terræ circa centrum suum, quo fit, ut alia atque alia rotundæ Telluris latera successive materiæ lucidæ obvertantur, seu ut Terra, convertendo se, horizontem quendam suum seu hemisphærium pededentim Soli præsentet. Motus igitur vertiginis, Terræ opacæ tunc datus, effecit, ut corruscæ materiæ, fixo loco splendoris quidpiam projicienti, per vices admoveretur, & ab eadem amoveretur. Primo ordinatus igitur & antiquissimus motus est motus *centralis.*

Hic motus axicus, quo circumagebatur spatio temporis 24 horarum, primo statim die Telluri impressus, nonnullis videtur etiam utilis

lis fuisse ad continendum Globum & ita comprimendum, ne disrumperetur, ejusque moleculæ dissiparentur; Juxta experimentum HVGENII *de la cause de la pensateur p. 131*, Corpora quaevis crassiora tenuioribus, in primis fluidis, interjecta, motu circulari ad centrum compelluntur.

ACTA DIEI SECVNDI. Gen. I, 6-8.

§. 7.

Acta tria diei 2.

Die secundo in creatione, quæ simplex repetitio NIHILORVM est, unica noua creatura, AER nempe, ad exsistentiam emersit, sed simul ejus & aquæ quædam modificationes evenere. Nimirum tria hoc die effecta sunt.

I. AER, mirabile illud fluidum, est conditus.

II. *Aquea compluria* assurgere in aëre jussa sunt, & *sursum elevata.*

III. *Locus* continuus determinatus illis aquosis assignatus est, seu ATMOSPHAERA constituta est. Nam mandatum Dei Gen. I. 6. habetur triplex. *Unum* de exsistentia aëris; *alterum de usu aeris*, qui fuit medium, in quo ascenderit aqua, seu de diremtione aquarum superarum ab inferioribus; *tertium* dē perpetuitate *loci* ejusmodi evaporationum, quæ jussu Dei confertim ascenderant.

§. 8.

Aër *conditus.*

I. AER ipse creatus est. Nam voce רָקִיעַ designari *aerem*, palam est tum ex Gen. I, 20. ubi volatilia dicuntur *volare & motum localem exercere in* רָקִיעַ (volant autem in *aëris* expanso); Tum ex Gen. I, 12. ubi Sol & Luna dicuntur constituta fuisse in רָקִיעַ שָׁמַיִם in AERE *celsitudinum* seu *celsiore*, in magno illo, sursum patente Inani, quod aeris nomine, quo illud

plenum est, intelligitur; Tum ex origine & nativa significatione vocabuli רָקִיעַ quod, formæ קָצִיר, descendit a. r. רָקַע DISPANDIT *tundendo & percutiendo* (vid. differt. cit. p. 45.) prouti Arabibus quoque رقع duo denotat, tum *extendere* tum *firmare* itemque *reparare*. Nomen *Rakia* die ausgestrekte Beveſtigung igitur partim *naturam* aëris, partim *officium* aeris firmatorium exprimit, siquidem voce רָקִיעַ (quam versio *Samaritana* reddidit per *Firmamentum*, Græca Alexandrina στερέωμα, Syriaca per *Firmationem*, Persica per *extenſionem*) si etymon spectas, vi huius originationis proprie significatur materia *tenuis*, *ductilis*, *firmativa*.

1) TENVIS, rara, tenera, penetrabilis, multæ res subtilitatis, cedens facile corporibus solidis, permeabilis & ob subtilitatem etiam pellucida, cujus pori etiam nunc, postquam sol exsistit, ab æthere penetrantur.

2) DVCTILIS, quæ tum expandi dilatarique, tum comprimi potest, & re vera extensa est, motum facillime suscipiens motusque impressi tenacissima, fluidum elasticum (h. e. *nisu præditum*, *se*, *si pressum est*, *restituendi in pristinum statum*,) cujus elater insigniter augetur calore.

3) FIRMATIVA materia, firmationi inseruiens, seu continendis corporibus, justisque intervallis Totalium destinendis.

Enervatur objectio.

HENR. BOLINGBROKE (*in Works, Vol. 3. p. 231. 283. 308.*) calumniatur, Mosis narrationem de Geogonia a nemine legi posse, quin Mosen qua Theologum abominetur, quà Philosophum & *Physicum* abjiciendum existimet. Suntque qui Mosis narrationem de aëre, *secundo* demum die creato, ἀσύστατον, assensuque indignam pronuntiare audent. *Experientia*, inquiunt, *docet*, *quod* NVLLA LVX, ABSENTE AERE, *exsistere queat*; hinc, quum die primo, Mose ipso auctore, jam lux fuit, necesse est, vt jam die primo aer adfuerit.

At

At vero in hac objectione vereor, ne amphibolia quaedam subrepat confundentibus lucem cum lumine, & face ſtricte dicta, ſeu flamma culinari. Ponamus autem, (quod quidem ob ignoratam intimam *ætheris* formam, haud poſuerimus) neque ætheream ſerenitatem & claritatem ſine aëre fieri poſſe:

1) *Diſtinguendum eſt inter curſum naturæ* CONSTITVTVM *&* CONSTITVENDVM. Ab illo ad hunc non valet conſequentia ſatis firma. Nulla idonea ratione evincitur, quod neceſſe ſit, ut naturæ, in FIERI ſuo conſtitutæ, eodem prorſus modo ſe habeant, quo naturæ in ESSE ſuo conſtitutæ. Accidentia rei inchoatæ & ejusdem rei conſummatæ ſeu omnimode determinatæ, adjunctis ei adjungendis, differre hodienum ſolent. e. c. docente STAHL *in fundam. chymic. artic. 1. cap 1. pag. 43, aurum ſibi relictum in vaporem non mutatur, ſed adhibito Spiritu, qui ex ſale Ammoniaco & nitro paratur, aurum volatile redditur.* Moſes autem rerum primordia proponit.

2) *Diſtinguendum eſt inter operationem ſupernaturalem & naturalem.* Lux autem, per potentiam Dei abſolutam producta & effectus operationis divinæ ſupernaturalis eſt. Quidni lux primigenia tantisper ſine aere ſubſiſtere potuiſſet? Quæcumque potentia Dei abſoluta & immediata peraguntur, haudquaquam æſtimanda ſunt e legibus potentiæ Dei ordinatæ, quæ legibus corporum, jam antea divinitus fixis, ſe attemperat. Exempla ſint plantæ & aſcenſus vaporum.

Nonne paralogismus foret, ſic argumentari? *Plantæ ſeminales hodie ſine* SVCCESSIVIS *plurium dierum incrementis e gremio telluris emergere nequeunt. Ergo in creatione iſta plantæ ſine* SVCCESSIVIS *plurium dierum conaminibus, vegetationibus & incrementis e terra haud prodierunt.* Docet contra Moſes Gen. I, 1. 12, quod die tertio omnis plantarum & herbarum exercitus SVBITO atque in puncto temporis, ἀσπερμάτως, proruperit ex nutu Creatoris, ſteteritque perfectus.

Docet Gen. 2, 6. quod Deus *arbores in terra*, passive se habente, *creaverit* & provenire e terra jusserit, imis radicibus sine mora actis. Error foret, sic statuere: Hodierna experientia comprobat, quod nulla planta hodie sine solis calore enascatur; Ergo, quum hujus indolis sint plantæ, debuit sol adhiberi ad generationem plantarum. Nam docet historia sacra, quod terra ante creationem solis, immediato potentissimi Dei actu vestita fuerit omnis generis plantis stirpibusque. Non exspectato solis favore seu fotu, jam die tertio, quum sol nondum exsisteret, Deus omnipotens, nulla re indigens, regnum vegetabile progigni jussit.

Causa ascensus vaporum est hodie aër & *ignis* SOLARIS, resolvens fluida gravia in particulas exiguas & minutissimas, qui etiam aërem calefecit, expandit, aërisque elaterem, projicientem ac propellentem, auget. Si quis hinc inferret: Ergo die secundo, in elevatione vaporum solaris ignis fuit concausa elevans, oppido is falleretur, quia sol concurrere ad evaporationes illas concutrere non potuit, quippe qui die demum quarto sol esse cœpit. (§. 22.)

3) Experientia præsens, ad quam provocant, non est h. l. legitimum principium dijudicandi, nec sufficiens. Ea docet quidem, quod hodie, mundo constituto, naturæ lex sit, ad lumen aërem requiri, sed ea non docet, *non potuisse* lucem creari & exsistere, nisi prævio & præsente aëre. Argute & ὀρθῶς de hac experientiæ hodiernæ insufficientia celeberrimus Doctor & Professor JOHANNES FRIDERICVS ACKERMANN *in Thesibus Physico Medicis*, stili venustate non magis quam rerum ἀκριβείᾳ enitentibus, (Kilonii 1772 Thesi 13. p. 4.) *Corpus*, inquit, *non moveri, nisi ab alio corpore, naturæ lex est, observationibus asserta; Idem vero non* POSSE *moveri nisi ab alio, experientia non constat.*

4) Canon ille: *Nulla lux sine aëre exsistere potest*, ex hodierna experientia ductus, est particularis veritatis. Valet de luce communi vividissimo, qui oritur e celerrimo particularum subtilissimarum motu per aëris

aëris commotionem. Sed non valet de quocumque, quod lucet. Nonne dantur diversa Phosphororum genera, & in primis Phosphori ætherei & animalis liquidi phænomena, quæ, subtracto per antliam pneumaticam aëre, ostendunt, lucem quandam adesse posse, ubi nullus sensibilis aër adest? Phosphorus Mercurialis in loco, qui aëre vacuus est, lucendi vim servat, nec indiget aëre ad lucendum JOHANNES BERNOVLLI, celeb. Mathematicus, primus a. 1700 non solum observavit, *Mercurium*, epidermide separata, seu inquinamento illo, ac pellicula ea, quam hydrargyron in aëre libero superficiei suæ adsciscit, remota, (sollicite colando illum, per spissum corium,) in tubulo vitreo emittere splendorem, simplici concussione facta; sed etiam, *exhausto e tubulo aëre*, columnam mercurialem, in obscuro loco, succussam, lucentem conspexit. Idem non solum barometrorum phosphorum, secundum certas leges ingeniose detectas, parare docuit, sed etiam artificium præmonstravit, in lagenula vitrea, *ex qua aër expulsus est*, noctilucam repræsentationem illam obtinendi. Hoc ex historia academiæ regiæ Parisinæ describitur in *Jacob* BERNARDI *Nouvelles de la Republique des lettres a. 1705. m. Septemb. p. 245: Il prend une phiole claire & nette, contenant environ une demi chopine, & assez forte pour soutenir l' agitation du Mercure. Il y met 5 ou 6 onces de Mercure bien purgé. Il cimente sur le cou de la phiole un robinet fort exact, qu' il applique à la machine pneumatique,* POUR TIRER AIR DE LA PHIOLE. *Cela etant fait aussi soigneusement, qu' il est possible, il ferme le robinet, pour empecher, que l' Air ne r'entre dans la phiole, etant separée de la machine du Vuide. Mr. Bernoulli porta la phiole dans l' obscurité, & la tenant ferme par le cou, il commença l' agiter fortement, comme on fait en rinsant une bouteille, pour donner une grande agitation au vif-argent. Tout aussitot la phiole* PARUT PLEINE D'UN FEU, *dont la lumiere n' etoit ni interrompuë, ni entrecoupée, comme celle du Barometre, mais qui dure tant que le Mercure etoit en agitation.* Quapropter lucem primigeniam

niam ſine aëre ſplendere *nequiviſſe*, affirmare haud ſuſtineo. Num lapis ejusmodi Indicus luminoſus, quem Joh. Dan. Kraft Electori Brandenburgico monſtrabat, qui per intervalla ex ſe fulgura emittebat in vitrea phiala (de quo expoſuit Joh. Sig. Elsholz Berolini in *obſervatione de 4 Phosphoris.* 8.) ſine aëre fulgurare ceſſaverit? Et numne materia ſubtilis in ligno, & in corporibus quibusdam aliis putreſcentibus, debili luce lucens, lucere deſinat, ſimul atque aër ex iis eductus eſt? aliis diſpiciendum relinquo.

Ponamus autem, die primo lucem ætheream & electricam eſſe productam, & hunc ætherem per אור deſignari. Num hic æther, aëre multo ſubtilior, & hodie ipſos aëris poros penetrans & totum univerſum replens, ſine illo fluido craſſiore ac denſiore, aëre, exſiſtere nequeat, incertum ſaltem eſt. Natura ætheris, ac vis, ipſi inſita, nondum perveſtigata, neque experimentis ſatis expedita eſt. Quum igitur maximam partem lateat, tantisper abſtinendum erit ab illo placito: Lux illa ætherea die primo creata ſine aëre exſiſtere non potuit. Nulla certe *contradictio* oſtendi poteſt ab hoſtibus revelationis inter aſſertum Moſis: quod die primo ætherea lux, & die demum ſecundo aër creatus ſit.

§. 9.

Contignatio nubium, ſeu diſcretio aquæ.

II. Vaporvm Ascensvs eodem die ſecundo præſtitus eſt, ſeu diſceſſio copiæ aquæ e globo terraqueo in regiones ſuperiores.

Dixit enim Deus Gen. 1. 6. *ſit aër* (quae vox רָקִיעַ inſignita eſt Rege *Tipheha*) *& quidem* בְּתוֹךְ in medietate *aquarum*, ita ut ſeparatio quædam earum fiat in duas partes, quibus aër intermedius ſit. Hoc additamento בְּתוֹךְ nervoſe ediſſeritur, quod eodem hoc die ſecundo *aquæ debiscere cœperint ac ſurſum evectæ ſint in aëre recens creato*, adeoque pars aquæ (antequam aquæ inferæ in mare influere juſſæ erant. Gen. 1. 9.

§. 12.

§. 12.) surrexerit in altum, *ad nubes efficiendas, quæ Telluri imminerent.*

Itaque per *absolutam voluntatem Dei* (nam aqua 800 vel 922 vicibus gravior esse solet äere, nec tamen per solem nondum aqua extenuata fuerat,) seu *jussu Dei*, evolarunt haud paucæ particulæ aqueæ ad minuendam profunditatem molis terreæ aquosæ, seu ad humidissimam terram (§. 4.), magna parte aquarum levandam. Die enim secundo initium solummodo secretionis aquæ & arefactionis terræ factum est, quæ die tertio continuata & absoluta est. Illud תוֹךְ seu STATVS DIVISVS *aquarum* in inferiores & superiores, quem Deus instituit die secundo, esse perrexit. Mandatumque Dei, ut esset quantitas aquae *supra inferiorem aëris partem elevata*, non solum ad diem secundum pertinuit, sed etiam ad sequentia tempora, eo fine ut plantis in nutrimentum (*) rediret.

(*) Hic finis continuatæ evaporationis Gen. 2, 6. indicatur: וְאֵד יַעֲלֶה מִן הָאָרֶץ SED deinde *vapor ascendebat, ut*, in äerem evectus, ibique in pluvias resolutus, *universam terram* deinceps *humectaret* & ad conservandas illas plantas, in terræ superficie immediata Dei potentia, productas, terram repeteret. Ex die igitur secundo vapores, (qui sextuplicis generis hodie numerantur, vel particulæ *aqueæ*, vel sulphureæ, vel salinæ *acidæ*, vel salinæ urinosæ, vel, ex utrisque compositæ, *ammoniacales* vel *mercuriales*,) sursum quotidie attolluntur.

§. 10.

III. *Atmosphæra Telluris* eodem die 2. constituta est, h. e. *perpetuitas spatii* AEREI, *quatenus terram nostram cingit äer & corporum naturalium exhalationibus repletus est.* *Atmosphæra.*

Affectiones atmosphæræ in philosophia naturali explicantur: ut

1) *rotunditas.* In modum fornicis secundum omnes directiones eadem ratione

ratione incurvatus est aër, terramque rotundam orbiculariter involvit. Huc respexerint comparationes tugurii, passim obviæ e. c. Ps. 104. 2: *Deus extendit cœlum veluti* CORTINAM convexam, כַּיְרִיעָה instar *contecti tentorialis.*

2) *Gravitas:* Aer & contenti in eo vapores una cum nubibus in eo suspensis, premit eo pondere, quod æquale est *ponderi aquæ 16 pedum.* Quæ observatio usum habet in explicandis diluvii caussis.

3) *Inæqualitas* interna. Quamvis altitudo & terminus atmosphæricus assignari nequeat, certum tamen, quod aër iste, in quo exhalationes omnis generis natant, non uniformis ubique densitatis sit. Concipienda est atmosphæra in Strata, numero infinita, divisa esse, cum superficie terræ concentrice terminata, quæ ascendendo a superficie Telluris continuum densitatis decrementum admittunt. Hinc radius, per hæc strata transiens, infinitas sustinet refractiones, & viam in atmosphæra curvilineam describit: quæ tamen, per fictionem, colligi possunt in unicam æquipollentem; quod factum est ab iis, qui Tabulas refractionum construxerunt.

4) *Utilitas*, „ut *homines ac animalia respirare possint, ut vapores noxii ab illis separentur & in altiorem deferantur locum; ut vapores humidi, in altum elevati, ad remotas siccasque regiones traduci & nutritioni herbarum reddi queant; ut iidem vapores, in superiori regione constituti, radios solares intercipere, hinc plantas, animalia & homines a nimio calore ex constanti radiorum solarium actione, durante æstate oriundo, defendere queant.*„

§. II.

die 2. est stabilita.

Quod atmosphæra die secundo constituta sit, Moses ita declarat Gen. 1, 6: Et dixit Trinitas, summa reverentia digna, יְהִי מַבְדִּיל *Sit* maneatque (hic aër) *distinctionem faciens*, ens discrimen, substitutionem (a) & intercapedinem constituens, *inter*

inter aquas, לַמָּיִם *oppositas aquis*, seu inter aquosa una ab alteris. *Und unterscheide das Gewässer oben in der Luft von dem Gewässer auf der Erden.* v. 7: Fecit ergo veneranda divina Trinitas expansionem, seu aërem expansibilem. *Et distinctionem* intervallumque *fecit* inter aquas (has & illas); *die von unten in die Höhe steigen und die Wasser, die durch den Regen von oben herrunter kommen*, quae sint מִתַּחַת לָרָקִיעַ ex *inferioritate* (b) *expansioni*, seu quae sint in Tellure ipsa positæ, & inter aquas, quae מֵעַל *a superioritate* (c), e regione superna, in expansione aërea sunt, hoc est, quae inter nubes, (d) quae, concameratae quasi, *desuper* inferiori parti aëris imminent. Et factum est ita.

id quod ex Gen. 1.6.7. 8. efficitur.

Dissociata locis concordi pace ligavit.

v. 8: Et *nomen indidit veneranda Trinitas expansioni aëreae* שָׁמַיִם COELVM, seu nominavit *spatium illud notabiliter supra nobis, versus nubes, elatum*, atque interstitium illud, insignem in altitudinem protensum, quod vacuum videtur, sed äere repletum est, id vocavit *celsitudines caelestes*, Luft- und Wolken Himmel.

(a) De voce BADAL *mutavit, substituit*, (§. 6.) & nomine BADALON *substitutum, quod pro re alia datur*, cf. *Jacobi* SCHEIDII *Glossarium Arabico-Latinum* (Lugd. Batav. 1769. 4.) pag. 10. Hinc ABDALA *separatus*, distinctus. J. F. NICOLAI *hodegeticum orientale harmonicum.* Jenæ 1670. 4. p. 89.

(b) תַּחַת *inferioritas*, (h. e. *terra*, quae, relata ad coelum, depressa videtur) *pars inferior*, est proprie nomen substantivum, formae בַּעַל. Radix est תָּחַת *depressus, demissus, humilis fuit.* Apud Aethiopes adhuc usitata.

(c) עַל *eminentia, superioritas, pars superior*, est nomen Substantivum, a. r. עָלָה *ascendit.* Sic occurrit 2 Sam. 23, 2. *Dixit vir consti-*

constitutus in EMINENTIA, rex Davides. Hos. 7, 16. יָשׁוּבוּ לֹא עַל *Revertuntur, sed non ad* EXCELSVM. Hos. 11. 7: *Populus meus fuit suspensi animo quoad aversionem mei,* וְאֶל עַל *& ad* SVBLIMITATEM, *clamant*, inquam, *ad eam* conjunctis viribus.

(d) Gen. 1, 7. per aquas, quae nunc sunt מֵעַל לָרָקִיעַ *a parte superiore* expansi, intelligi debere aquas *nubium*, clarescit e parallelismo. Legimus Jerem. 10, 13. planissimam *aquarum supernarum* explicationem: *Qui voce sua*, jussu suo creatorio, posuit *multitudinem* מַיִם בַּשָּׁמַיִם *aquarum in coelo, ascendere faciens* NVBES *in extremo terrae.* Ps. 148, 4: *Laudate Deum aquae!* מים אֲשֶׁר מעל השמים *quae supra coelos sunt.* h. e. *nubes!* Wasser, von *der obern Seite* des Himmels her. (Dan. 12, 7.) *Omnes aquae,* SVPRA COELOS *positae! praedicate Dominum.* Concordant phrases Job. 26, 8. צֹרֵר מים בעביו וְלֹא נִבְקַע עָנָן תַּחְתָּם *Er band die Wasser in seine Wolken, so daß keine Wolke an ihrem untern Theil zerreißt, ut non erumpant pariter deorsum.* Ps. 104, 3. *Contignans, contabulans & connectens est aquis superiora sua;* ponit NVBES currum suum. Ps. 147, 8. Qui operit coelum nubibus. Ps. 18, 12. *Posuit tenebras ut latibulum suum; Circuitus suos tentorium; Tenebras aquarum, densitates nubium,* seu tenebrosam aquam, in grandibus nubibus, in aëre pendentibus.

ACTA DIEI TERTII. Gen. I. 9—11.

§. 12.

Dies III. clarus

Die tertio *unum* novum creaturarum genus productum est, PLANTAE nimirum. Evenerunt autem duo:

1. disgregandae *aquae segregatione*,

I. AQVARVM SEPARATIO *in ipso corpore* Telluris, §. 13. 14. (nec non reliquis innumeris corporibus opacis); quae fuit actio praeparatoria ad consequentem novam צמיחה, & ad locum commodum plantis parandum.

II. Ve-

II. VEGETABILIVM PRODVCTIO (§. 15.), in superficie Telluris arida. 2) *progerminationibus.*

§. 13.

I. TRANSLOCATIO AQVAE *repentina, ac Secessio* in certas cavernas alveosque; adeoque *arefactio certarum partium terrae.* (diss. pag. 46.) Neque enim idem materiae aqueae positus fuerat ante diem creationis tertium (§. 3. p. 11.), qui fuit post hunc diem tertium. Totus *globus terraqueus* erat subluvies, orbicularis limus, sentinosa lutariaque Sphaera, (prouti in עַנְטִיט *luto denso*, in בּוֹץ, in רֶפֶשׁ & יָוֵן aqua terrae permixta est) Vocaturque a Mose מַיִם *aqua* (vid. supra p. 15. & 12.) hanc ob causlam. Neque exsibilanda sunt verba celeberr. & rev. D. *Theodori Christophori* LILIENTHALII in *der guten Sache der Offenbahrung* Tomo V. p. 49. (Königsb. 1762. 8.) *die Planeten (unacum Tellure nostra,) werden deshalb* WASSER *genennet, weil sie noch zur Zeit einem* weichen Brey *ähnlich waren.* Nunc igitur duae magnae commutationes contingebant. Aqua jubebatur pristina loca sua deserere. Continens jubebatur condensatione exsistere & prominere. 1) *Transpositio* aquarum.

§. 14.

De hac congregatione particularum fluidarum crassiorum in certa quaedam loca, Moses sic Gen. 1, 9. refert: *Porro* dixit seu *imperavit* divina Trias summopere veneranda : quae probatur ex Gen. 1, 9.

I. וְיִקָּווּ *Congregentur*, ad certam regulam inque receptaculorum lineas, aquae (a קַו *linea, funis*; קָוָה proprie notat *necti, texi*) & quidem מִתַּחַת *a parte inferiore* שָׁמַיִם productissimi *expansi aërei*, h. e. eae aquae, quae *in ipsius Telluris* superficie confusae sunt eique incumbunt (conf. מַעַל v. 7.) in *locum unum*, (b) seu proprium, singularem & continuum, ita ut in

(a) Versio cl. viri J. D. MICHAELIS in lib. cit. p. 2: *Das Wasser* UNTER *dem Himmel*, minus satisfacit dictioni Hebraicae.

ſpatio communi contiguae ſint, nec interruptae peregrinis ſeu aridis partibus intervenientibus; nec minus ita, ut tum per freta, tum per Subterraneos canales communicatio iis ſit.

Duo igitur vi hujus imperii divini evenerunt. Primo locus ille paratus eſt; ſeu repente, tum ſubtus terram, fornices camerati, tum in ſuperficie terrae, concavitates vallium ſubmarinarum, lacuum, fluminumque alvei. His canalibus mox coortis, ſtatim aquae in illa receptacula conceſſerunt, tum in hypogaeos fornices & arcuata conclavia, clauſtra & antra ſubterranea & cuniculos, tum in ſinus vaſtos marium & fluviorum conceſſerunt *confeſtim.* Nam *ab increpatione Domini* FVGERVNT *aquae* a priſtino loco, Pſ. 106, 4. Euntque inde ab hoc die 3. exercitis lapſibus aequora & flumina; prout fluvii Paradiſi. Gen. 2, 11.

II. *Et appareat*, viſibilis fiat, *arida terra. Et factum eſt ita.* Dictum, Factum! FVNDATA igitur *eſt terra* habitabilis. Pſ. 24, 2. Pſ. 136, 6. Ex die 3 mare lege littoris ſtringitur.

(b) Non eſt, ut bibliomachi hanc Moſis λέξιν אֶחָד carpant, &, experientiam ipſi eſſe contrariam, crepent; modo teneamus notionem τοῦ אֶחָד & definitionem *continui.* Deſcendit vox illa a. r. אָחַד notante 1) *exacuit*, ut Ezech. 21, 16. הִתְאַחְדִי *exacue* ſubtiliſſime *gladium*, 2) *adunavit*, junxit. Significat igitur 1) *unum* vel primum 2) *conjunctum* per cohæſionem partium, VNITVM, *continuum*, e. c. Gen. 2, 24. C. 11, 6. Exod. 26. 6. C. 36, 13. 18. Continuum autem eſt id, *in quo particulae interpoſitae cogitari non debent.* Convenit cum חָרַר *determinavit*, *limitavit.* Unde Ez. 33, 30. חַד *unus.* C. 21, 16. Sit חַדָּה *exacutus* gladius.

Non dixit Deus: *Congregentur aquae in locum numeraliter* VNICVM, ſed, in adunatum, ſeparatum, limitatum. Diſtingue locum *collective unum*, & *vage ſeu diſtributive unum.* De poſteriori Moſi ſermo eſt in voce אֶחָד. Senſus eſt: I. *Con-*

I. *Congregentur in locum* SEPARATVM. Numerentur 40 maria globi terraquei; occupent diversa loca, a Deo sapientissimo illis assignata: tenent tamen locum separatum. Quis enim certos limites majorum marium neget? Est Oceanus inter veterem & novum orbem, seu *Mar del Nort*; est mare inter Asiam & Americam, seu Mar del Zur, propter placiditatem fluctuum *Pacificum* dictum; est Oceanus hyperboreus seu *Glacialis* circa terram Polarem arcticam; est Oceanus *Indicus* inter Africam & insulam Latronum, extremam Asiae partem: qui diversas appellationes nanciscuntur a locis & regionibus variis, quos alluunt. Perinde flumina separata spatia occupant. Maxima sunt in EVROPA *Wolga* procurrens cursu longitudinis 650 milliariorum, *Danubius* 450, *Don* seu *Tanais* 400, *Nieper* 380, *Dwina* 300. In ASIA *Hoanha* in China 850, *Teniska* in Tartaria 800, Oby 600, *Amur* in Tartaria orientali 575, *Kian* 550, Ganges 550. *Indus* 400, *Sirderoias* 400. In AFRICA *Senegal*, connumerato Nigro, ipsius continuatione, 1125; *Nilus* 970, Zaira & Coanza saltem 400; Couamac saltem 400; Quitmarci 400. In AMERICA, ubi latissima sunt: *Amazonum* fluvius 1200, *Laurentii* in Canada 900, *Missisippi* 700, *De la Plata* 800, *Oronoque* 575 *Madera* 670. Conf. celeb. FORMEY *Physica* german. Tomo II. p. 207. (Berol. 1772. 8.) Congregatas esse has aquas, in suum locum אחר *disjunctum*, quis est, qui inficiaretur?

II. *Congregentur*, dixit Deus, *in locum* ADVNATVM conjunctum. Et hoc sensu veritas verbis Mosaicis constat. Eaedem enim illae praecipuae Oceani partes sunt CONNEXAE, partim externe partim interne.

Externe per FRETA, seu partes Oceani inter duas terras anguste decurrentes, ac duo maria connectentes, e. c. per fretum *le Maire*, Davisi, *Hudsonis*, *Gaditanum*, *Siculum*, per freta *Danica* & Anian, fr. *Hellesponti*, inter Archipelagum maris Mediterranei & Propontidem, fretum, quod dicitur *Bosphorus Thracicus*, *Cimmerius*, *Stretto di*

Manilla inter Leuconiam & Mendorum; inter Summatram & Javan majorem, Stretto de *Sunda*. (*)

INTERNE per meatus subterraneos, (ut e. g. mare Caspium) & submarinorum fretorum gurgustia, efficiunt locum אֵתֶר. Indubia est circulatio Oceani per utrumque orbis terreni Polum. Sub Polo Arctico absorbetur, & sub Polo Antarctico regurgitatur. Recte *Athanas.* KIRCHERVS *in mundo subterraneo* (Amstelod. 1665. fol.) Tomo I. libro 3. hy-

(*) Notat autem *Sund* سند in lingua Persica Gewässer & est generale nomen aquae; ut Visurgis Wässer, Wäser. Unde *Indus* fluvius ab Indis κατ' ἐξοχὴν vocatur *Sind* vel Sünd. *Sumbava*, hoc est باوه سند *Sund-Eawa*, seu *Sunda inferior*, h. e. Java minor. Hinc nomina *Stral-sund Sund-gau* &c. interpreteris. Plurimae reperiuntur insulae aquis cinctae, a Persico *Sunda* denominatae. Largam copiam vocabulorum Persicorum, cum Germanicis & sono & significatu convenientium, congessi in den Hannover. *Anzeig.* a. 1753. *p. 1498-1506.* Dantur plures locorum denominationes, ortae e nominibus *communis significationis* orientalibus, e.c. *Diw* دیو Persice notat INSVLAM. *Maldiviae. Maledîw* مالدیو significat igitur *insulas circa* urbem praecipuam *Male* مالی Quod ipsum confirmatum quoque est a Missionariis Danicis in continuat. Malabar. XXXI. p. 65. Insula CELEBES seu Silbes, cujus figura, *a parte* insulae *postica, furcam refert*, nomen habet a voce Persica شیل SIL *tridens, furca*, & بش BESCH *postica pars* & ab hac ipsa figura, (ut *La Manche*, locus Φιάλη, fons Jordanis; lacus Tiberias in Galilæa, KINNERETH h. e. *ovalis* CITHARA, seu Genesareth) & Borneo برنو *Barnew*, maxima totius Asiae insula, significat *terram novam*, e vocabulo Persico بر BAR continens terra, & نو NEW. *novus*. Insula CEYLON seu rectius *Seilan* سیلان Persica in lingua notat *locum recreationis*, seu theatrum. Conf. itineribus cultissimi Profess. *Georgii Henr.* WERNDLY *orat. de linguarum Orientalium & Indicarum cognitione.* (Amstelod. 1737. 4.) p. 22, 23.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0034
DFG

3. hydrographico cap. 2. de Oceani Pericycloſi, fol. 158. ita: *Mare ſub Polo Arctico, ingenti inſinuatum voragini, abſorptumque per incognitos receſſus, & inexplorabiles macandrorum ductus, tortuoſis & incomprehenſibibus ambagibus tandem in auſtrali Polo denuo emergit. Non ſecus ac in corpore humano, unius diei naturalis recurſu, ſanguis per univerſos venarum ductus circulatur.*„ Pag. 159. adſtruxit ſuppolarem illam voraginem.

Interne etiam per *motum* conſuetum aquae multae connectuntur. dum e. c. aeſtus maris obſervatur, non a Polis incipere, ſed a Linea aequinoctiali usque ad Polos pergere, adeo ut intra 9 horas ad *Fretum Caleti*, & intra 27 horas usque ad Mare Album perveniat.

§. 15.

Aridum MONTIVM primævorum, opus diei 3.

Ad acta diei tertii, quo Telluris partes quaedam ſicciores redditae ſunt, MONTES referendos eſſe exiſtimamus. Mutatione inſtantanea orti ſunt. Montes innuimus ORIGINARIOS, (*) qui differunt a deinceps in cumulos congeſtis, tum *altitudine majori*, tum *pyramidali forma*, tum *nuditate planitieque* apicis, tum *ſtructura* peculiari, diverſitate ſtratorum carentes (vacant enim originarii qua verticem humo, & unici ſunt, qui mineralibus, cupro ferro argento impraegnati, gaudent,) tum jugis, & ſerie dorſorum contiguorum.

(*) Hi montes ſunt

A) vel *in mare* procurrentes, aut in littore ſuper vicina loca elevati, qui PROMONTORIA appellantur, repagula, aquarum diffuſioni oppoſita, ad retundendam & coercendam fluctuum rabiem; e.g. Capo *Bonae Spei*, in Africa extrema; caput *Victoriae* in exitu freti Magellanici; caput *Vinde* in Africae angulo, ubi ab occidente in orientem littus flectitur; caput *Vincentii* in Hiſpania.

B) vel alii montes majores & juga montium; e.g. in EVROPA

1) *Al-*

1) *Alpes* montes, qui sunt vel Cottii, porrecti versus Galliam, vel Rhaetici, ambientes Helvetiam. 2) *Apenini*, respicientes mare Adriaticum. 3) *Pyrenaei* montes inter Galliam & Hispaniam. 4) *Carpatici* inter Germaniam, Poloniam & Hungariam. 5) *Riphaei* montes, vel Obii (h.e. *magni*) in Tartaria *Scyth.* Russica. 6) Juga Norwegiae & Lappiae, SEVO, qui a promontorio australi Norvegiae inchoantur, & Sveciam ex parte separant, a Norvegia, multisque deinde ordinibus progrediuntur in ultimam usque Lappiam, dicunturque Tilleful, Dofrefiel. 7) Sveciae altissimus mons est *Kinekulla*, pyramidalis, inter labia montis Billingen & Huneberg. 8) In Scotia est Gransbain; progrediens ab ortu ad occasum, dividensque Scotiam in duas partes. 9) In Germania jugum Hercynium, flexuosum, cujus pars est Bructerus. Saxonicique montes, atque Tyrolici.

In ASIA, *Tauri* montis jugum, incipiens in Asia minori & extendens se ad Indiam usque: *Imaus* mons, Scythiam Asiaticam in duas dispescens partes: *Caucasus*, a Ponto Euxino ad Caspium mare protensus. *Ararat* in Armenia (hodie Arar): juga Arabica, (*) celebria monte SINAI, inter altissimos Asiae montes utique numerando, & monte Horeb. LIBANON, duo irregularia Triangula repraesentans; seu *Libanus* & huic obversus *Antilibanus* in finibus Palaestinae prope Tyrum initium capessens. Mons *Casius* in Syria prope Antiochiam.

In AFRICA montes *Lunae*, maxima mortium congeries, e quibus

(*) Horum consideratio illustrat Psalmum Graduum seu Reditus, Festo Scenopegias cantandum, 121. cujus v. 1. sic vertendus: *Tollo oculos meos ad istos montes!* contueor homo viator praegrandia, eheu! salutis meae obstacula! montibus amplissimis comparanda, quibus in deserto Arabico concludimur. UNDENAM *deveniet auxilium meum?* v. 2. Neque vero desperandum mihi genuino Israelitae est. *Auxilium meum veniet* a JEHOVAH, *effectore coeli ac terrae*, omnibus vel maximis impedimentis majore!

quibus Nilus ortum trahit; mons Atlas, a littore Africae occidentalis extensus versus ortum usque ad confinia Aegypti loca. Mons Pico in insula Teneriffa, quem BOVGVER, *in Photometria*, asserit habere altitudinem 12252 pedum.

In AMERICA juga *Peruviana*, montes Apalachici, & *Andes* dicti; Mons *Chimborasso*, mons Cordileras, quem la CONDAMINE altitudine 23800 pedum Gallicorum insignem esse tradit, & fundo celsiorem 3000 perticis:

Quae cum ita sint, usquequaque sibi non constat judicium Keplerі in *epitome Astronomiae* p. 26, *nullum montium ultra dimidium Milliaris, quod habet 21000 pedes, in perpendiculari altitudine ascendere.*

§. 16.

MONTES, coaevi arboribus, sunt opus diei 3.

Hanc aridam eminentiorem Terrae partem, hosce *Montes, intra Sextiduum creatorium productos esse*, tribus ex rationibus declaramus.

PRIMA est, quod Scriptura S., creationem mundi commemorans, simul *montes* creatos commemorat. Ps. 104, 6. 8. Itemque Ps. 90, 2. Heic Moses in deserto, montibus cincto, miseriam populi Israelitici deplorans, & brevitatem vitae cum aeternitate Dei comparans: *Antequam*, inquit, *montes nascebantur*, die nempe secundo hexaëmeri exsurgentes; & antequam *pareres terram*, moleculis solidis constantem, extersam, de qua montes sunt, nimirum die primo, *& orbem*, totum hunc globum terraqueum die primo, §. 2. *tu, Deus! es a saeculo in saeculum.* Prov. 8. 25.

ALTERA ratio est, *quia jam ante diluvium universale montes*, saxorumque tantae congeries, *exstiterunt.* Nam ante finitam illam inundationem, haec ipsa montium superabat cacumina 15. cubitis. Gen. 7, 10. 19. 20. Fallitur igitur D. Bahrdt l. c. ratus, ex aquarum diluvialium intumescentium defluxu eos cunctos natos esse.

TERTIA ratio est: *Quoniam montes jam ex die tertio* NECESSARII *fuere* ad fines obtinendos, utilitatesque praestandas, quibus Tellus carere haud poterat. Requirebantur montes TVM *ad consistentiam Terrae conciliandam.* (Sustentacula enim Telluris fabricae sunt, vectium & ossium loco eam quasi constringunt,) adeoque ad compages quasdam Telluris arctius vinciendas; TVM ad hydrophylacia in montium visceribus concludenda, fontesque fluviorum parandos, qui in montibus, vt in arboribus succi, ascendunt, tum ad subterraneum ignem & barathros igneos his montium petrosorum claustris ἀῤῥήκτοις cooperiendos & continendos; tum ad aequilibrium (a) efficiendum, & aequabilitatem motus globi nostri circa solem; tum ad frangendum maris aestum (b), atque domandos fluminum impetus, tum ad derivandum aquas & fluvios in subjectas terrae partes. Prouti utiles sunt, tum ad coercendam ventorum rabiem, tum ad augendum calorem, radiorum repercussione, vel temperandum eundem his illisve regionibus: quae vix vel non commode incoli possent, nisi montes convenientissimis locis a benefico numine collocati essent.

(a) Huc accommoda verba Jes. 40, 12: Deus longe potentissimus aeque ac prudentissimus *librat in statera montes, & colles in bilancibus*, h. e. Disposuit montes ita in terra, ut aequilibrium praestent globo, ne hemisphaerium unum, vel quadrans Telluris una, alteri praevaleat pondere; ne igitur vi centripeta majori pars una prae altera polleat.

(b) De saxosis littoribus montibusque cape Ps. 24, 2. כִּי־הוּא עַל יַמִּים יְסָדָהּ וְעַל נְהָרוֹת יְכוֹנְנֶהָ *Jehovae* est terra & plenitudo ejus. *Nam ipse* IVXTA maria FVNDAVIT *eam*, constituendo firma littora, petrososque montes fluctibus opponendo. *Juxta fluvios stabilivit eam*, Ps. 65, 7. *Stabiliens est Deus montes per robur suum, succinctus*

ſuccinctus enim eſt fortitudine. Compeſcens eſt ſtrepitum marium, undarum| ſuarum.

§. 15.

II. Productio VEGETABILIVM (§. 12.) eſt alterum diei tertii θαυματέργημα. Nam Gen. I, 11. „*Edixitque Deus trinunus venerandus: Progerminet terra, es laſſe die Erde hervorſprieſſen* דֶּשֶׁא *plantam* imbecilliorem herbamque TENERAM; עֵשֶׂב herbam ſeu *plantam* DVRIOREM *longioremque*, Prov. 27. 25. caudicis longitudine, craſſitie & firmitate grandeſcentem, ut braſſica. *Seminificantem ſemen;* itemque *frugiferam* ARBOREM, adeoque contumaci caudice ramisque inſignem; proferentem, & jam oſtendentem re ipſa, *fructum* לְמִינֵהוּ *ſecundum naturam ſuam, cujus ſemen ſit* & contineri ſoleat *in eo fructu, ſuper terram*, ſeu quod decidat deinceps in humum. v. 12. *Et protulit* illico *terra herbulas, herbas ſeminantes* ſemen.„ Produxit igitur terra ad nutum Creatoris omnia germina, ſeminibus frugibusque onuſta. Nec uniformia, ſed diverſiſſimarum ſpecierum, (*) magnitudine, indole, odore, ſapore, colore & uſibus varie differentium. Proinde gramina in campis, fruges in agris, arbores in ſilvis & hortis exſtiterunt. Qui igitur contendunt, in autumno mundum creatum eſſe, ſatis praeſidii in verbis Moſaicis inveniunt.

2) GERMINA omnigena, gradu differentia, progenita.

1) *Surculi* tenuiores, *olera* braſſicae, *herbulaeque.*
2) *frutices* trunci *rigidioris* & *ſuffrutices.*
3) arbores trunci ſolidioris, frugibus exornatiſſimae.

§. 16.

Tria heic notanda: 1) Immediata productio. (§. 17.) 2) Perfectus ſtatus vegetabilium. (§. 18.) 3) Subitanea eorum exſiſtentia (§. 19.)

De germinibus habe tria.

(*) De numero ſpecierum regni vegetabilis cl. *Johann* BECKMANN in den Anfangs-Gründen der Natur-Lehre, libro commendabili, Th. II. von der Botanick p. 147: *Die Anzahl aller jezt bekanten Pflanzen beläuft ſich auf zehn tauſend.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0039
DFG

§. 17.

Sunt opus Dei *immediatum.*

Immediata Dei vi facta, vegetabilium procreatio. Non sua sponte, ceu somniabant Aegyptii, e terra nata sunt. Nec efficacia Solis naturali quadam. Ne juvit quidem eorum productionem vigor radiorum solarium, quo hodie plantae, terra & aqua constantes, promoventur atque perficiuntur. Nam calefaciens sol, junior plantis, nondum exsistebat hoc die tertio. Primigenia lucida moles (diss. p. 42.) quod illis quodammado inservierit, affirmare nec ausim.

Uni omnipotentiae Dei jubentis Moses tribuit, quod plantae omnis generis uno hoc die e terra surrexerint; tantopere quoad (מִין) naturam discrepantes, conformatione externa, & in primis interna, ductuum & fibrarum laxitate, vel angustia, densitate, mollitie, rigiditate ac dispositione. Ratio prima, qua hoc ἀμέσον probatur, haec est: Quia vi *mandati divini* prodierunt Gen. 1. 11. quo indicatur immediata Dei operatio. Altera ratio habetur Gen. 2. 6. ubi Moses loquitur partim de *arborum* speciebus, partim de *imbecillioribus* plantis, oleribus & herbis, atque adeo docet absentiam seminis & absentiam duorum subsidiorum, quae adhiberi hodie solent ad plantas adjuvandas, nimirum virtutis pluvialis & hominum culturae. *Deus*, inquit, *fecit unamquamque* שִׂיחַ *stirpem & virgultum omne*, טֶרֶם יִהְיֶה בָּאָרֶץ *antequam fuerat*, (quoad semen) *in terra*, Ex *Nihilo* fecit ista Deus. וְכֹל עֵשֶׂב הַשָּׂדֶה טֶרֶם יִצְמָח & fecit *omnem* longiorem & maturantem *herbam*, *antequam creverat.* Fecit, inquam, haecce plantarum genera, כִּי *quum* (*) לֹא

(*) כִּי notat quum: Ex. 3. 21. *quum* exibitis Num. 22. 22. *quum* iret Lev. 21. 9. filia sacerdotis *quum* coeperit scortari. Deut. 31. 21. Jud. 16. 16. Job. 39. 24. Paral. 6. 28. רָעָב כִּי יהיה fames *quum fuerit in terra.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0040
DFG

לֹא *nondum pluere feciſſet Deus* ſupra terram, *& quum nondum exſiſteret homo*, qui colere potuiſſet terram v. 6. *Deinde*, poſtquam producta a Deo erant illa vegetabilia, prataque florerent, uſus eſt, ad conſervationem illorum, rore, radices paſcente. v. 7. *Poſtea vapor aſcendit ex terra, & irrigavit aluitque omnem terram.*

§. 18.

Adulta ſteterunt.

In ſtatu *perfecto* plantas prodiiſſe, (perinde ac deinceps animalia & homines) ſatis eluceſcit ex eo, quod plantae productae ſint maritatae מַזְרִיעַ זֶרַע (Prov. 24, 25.) habentes & effundentes *ſemen* §. 15. unde aliae generari poſſent. Adeoque eas jam adultas fuiſſe neceſſe eſt. Requirebantur etiam ad pabulum animalium gregis, herbae jam adultae, & ad victum hominis fructus arborum perfectarum. In ea certe regione, in qua Protoplaſti vivebant, *exſtiterunt multae arbores pomis gravidae.* Gen. 2. 16. 17. Gen. 3. 2. Hanc ob cauſſam, & praeterea, quia אֲשֶׁר nec non Praefixum ל ante עֲשֹׂב deeſt, illam verſionem cl. J. D. Michaelis l. c. non meam feci *Die Erde laſſe lange Kräuter hervorkeimen*, die ZU ERWACHSENEN *Kräutern* WERDEN, und ſich beſaamen. Quis enim credat, plantas tunc fuiſſe magis teneras, quam animalia & homines? generantes ſtatim.

§. 19.

Citiſſime condecorarunt Terram.

Illico & ocyſſime e terra proſiluiſſe ſilvas arborum robuſtarum fruticumque, herbas, olera, flores, ſegetes aſſurrexiſſe, ceteraque omnia, facultate vegetante praedita, nemo dubitabit, qui expendit, non ſolum, *mandatum Dei aliquod praeceſſiſſe*; utpote quod rerum promtiſſimum ad exſiſtentiam tranſitum habet pediſſequum; ſed etiam ſubjunctum eſſe hunc nuntium וַיְהִי כֵן *& eventus reſpondit Dicto!* quae formula, ubicumque,

mandato divino connexa, indicat, rem sine cunctatione factam esse. Ps. 33. 9. כִּי הוּא אָמַר וַיֶּהִי הוּא צִוָּה וַיַּעֲמֹד *Quando Ille loquitur, tunc fit; quum Ille praecipit, adstat res.* Prata igitur, agri & campi hortique hoc die nati.

§. 20.

Tam elegans, quam sertilis Paradisus.

Eodem die 3, quo terra reliquis vegetabilibus convestita est, etiam illa inprimis amoena & fecunda regio, *Paradisus*, divinitus nata est, hortum humana manu diligentissime consitum referens. Gen. 2. 9. 17. 22. Hunc ubertate rerum, oculo, olfactui & palato gratarum, instructissimum dein elegit, primum primorum hominum hospitium. Inter arbores exstitisse *arborem* vitae, sanitati restituendae destinatam, probat allusio Apoc. 20. 2. in descriptione *perpetuandae* felicitatis fidelium.

ACTA DIEI QVARTI. Gen. I. 14—19.

§. 21.

Opera diei quarti duo.

Dies quartus duobus eventibus insignis est.

I. Solis nostri, ceterorumque solium, *effectione seu separatione.* Hoc enim die

Sidera coeperunt toto fulgescere coelo.

II. Motvs annvi *Telluris nostrae, circa solem, determinatione;* prouti etiam ceteris corporibus opacis certus cursus circumcirca soles suos est ordinatus.

§. 22.

Configuratio & incendium SOLIS.

I. Primum diei 4. opus fuit SOLIVM separatio universorum, adeoque etiam Solis nostri conformatio; seu, ut clarius edicam, (dissert. p. 42.) Lucis Primigeniae (§. 5.) Translocatio *in non nullorum aliorum corporum opacorum sphaericorum superficiem*, circa axem suum jam inde ex triduo turbi-

turbinantium. (§. 6.) Hac de re exponit Moſes v. 14. Et edixit Deus יהי מארות (non in *Duali*, quaſi de Sole & Luna, ſed in PLVRALI.) *Fiat* (*) *uno actu unumquodque Luminarium*, (Erleuchter) illuminantium corporum, ſeu tota multitudo, *in expanſo coelorum aethereorum:* hoc eſt, FIANT SOLES in omnibus ſyſtematibus planetariis, ad diſtinguendum tempus lucis ac tempus tenebrarum, ad alternationem faciendam inter diem & noctem; colluſtrando hemiſphaeria corporum opacorum, *ut ſint* generatim *in ſigna* (longitudinem & latitudinem locorum determinandi, diſtantiasque menſurandi); Speciatim in *tempora ſtatuta* (**) (in numeros motus perpetui uniformes) *in dies, & in annos.* Sint igitur ſigna non eventuum, ſed temporum. Gen. 1. 14.

(*) יְהִי *fiat* lumina. Non in mendo cubans lectio. Sed Singularis h. l. ſignificatu *partitivo* gaudet per Idiotismum linguae, ut Pſ. 119. 137. יָשָׁר מִשְׁפָּטֶיךָ *rectum eſt* VNVMQVODQVE *judiciorum tuorum.* Exod. 20. 3. לֹא יִהְיֶה לְךָ אֱלֹהִים אֲחֵרִים *Non* ERIT *tibi dii alieni* h. e. *ullus* ex diis aliis. Jeſ. 1. 3. Job. 21. 32. Zach. 9. 9. Regula Philologis: *Quando nomen Plurale* VERBO SINGVLARI *copulatum legitur, tunc* 1) *emphatica deſignatur Diſtributio; quaſi unumquodque ſingulare ſub Plurali contentum cum Verbo ſeorſim conſtrueretur:* 2) aliquid ſimultanei per verbum ſingulare, nomini plurali additum, indicatur. Mirum, quosdam hodie hanc phraſin Moſaicam & Enallagen inter *Vitia* Grammaticalia numerare, quum tamen ferant ſimilem conſtructionem Graecorum & Latinorum. Sic Ariſtoteles οὐκ ἂν ἐξεφύετο τοῖς μὲν αἱ τρίχες NON EXORIRETVR HIS QVIDEM pili h. e. VLLVS pilorum. Et Plautus: *Nobis praeſente*, i. e. *quolibet* noſtrum praeſente.

(**) Sol hinc *Oſiris* dictus i. e. der *Zeitmacher.* Aegyptiace *Oiſch* eſt *tempus*, *iri* autem ſignificat *facere.* Vid. Paul Erneſti JABLONSKY *Pantheon Aegyptiorum.* Frf. ad Viad. 1750. 8.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0043
DFG

rum. Arbitrante Turretino (**), indicatur a Moſe triplex uſus Luminarium, in caelo aethereo creatorum: 1) *Diſtinctio diei & noctis.* 2) *Notatio & diſterminatio vicium ac tempeſtatum anni.* 3) *Communicatio virium in ſublunaria.*

§. 23.

Gen. 1. 16. De Sole autem noſtri ſyſtematis planetarii tradit v. 16: Et FECIT *Deus* φωσῆρα הַמָּאוֹר הַגָּדוֹל *luminare illud magnum, ad dominium temporis lucis*, diei. *Magnum* merito vocatur illud inſtrumentum lucendi tum ratione Planetarum; iſtis enim majus eſt. (ſupra p. 11.) tum ratione Telluris; quippe Diameter ſolis eſt ad diametrum Terrae ut 152. ad 1. ſeu ut 261440 ad 1720. Fecit Deus ſolem, ut corpus quoddam totale praegrande nunc evaderet concilium fulgidae materiae contractioris & largioris.

§. 24.

A) de Natura ſolis. Sol eſt corpus *mixtum.* Ad explicandum ſenſum phraſeos: *Deus* עָשָׂה EFFECIT *lumen magnum*, opus eſt, ut duo agam. Primum, ut de *Natura compoſita, & partibus binis ſubſtantialibus* ſolis, ſententiam edifferam eamque probem. Alterum, ut doceam, ſolem *feciſſe* nihil aliud eſſe, quam lucem primigeniam in Sphaeram quandam corporalem transtuliſſe Deum.

§. 25.

Statuo de natura ſolis haec tria:

1) (Soles ſingulos &) ſolem noſtrum non penitus eſſe ignem, ſed entia eſſe COMPOSITA e corporibus Totalibus ſolidis *opacis* & e materia *lucida*, elementari illa electrica,

§. 25.

(**) In Franciſci TVRRETINI *Compendio Theologiae Didactico-elenchticae, edito a D. Leonhard Rüſſenio. Lugd. Batav. a. 1731 4. pag. 1122.*

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn825845246/phys_0044 DFG

(§. 5) quae die jam primo creata erat (diff. p. 42.) fluidumque aethereum eſt. Habet ſol, me judice, ſuam oſſaturam ſolidam, ſeu ſibi ſubjectum corpus aliquod. Receptaculis ingentibus Vaginis & *voraginibus* praeditum id eſſe, auguror ex levitate comparativa tanti corporis ſolaris, ab aliis demonſtrata. Statuo 2) Quod die quarto iſta materia illuminatrix (§. 5.) variis copiae proportionibus diſtributa ſit, & uberrime abire juſſa in tibicines illos firmos. Ambit igitur aether puriſſimus ſubjecta ſibi corpora opaca, alligatus eſt iis, implet ea; Liquidum aethereum cavitates vaginasque, iis inſitas, penetrat, ut, undarum inſtar, perpetua ebullitione inde aeſtuet. Opplet ea, & compluria aetherea pyrophora ſtrata, ſphaerice, (prouti in cepa-rum bulbis major includit minorem,) globum complectuntur.

§. 26.

Sol igitur noſtrae compagis planetariae, proprio nunc lumine radians, videtur mihi eſſe ens COMPOSITVM, partim e corpore opaco denſo, ſeu ſoliditatem, inſtar rupis Magneticae, habente, partim e copia materiae ſpirabilis ac ſubtiliſſimae, fluxilitatisque ſummae. (*)

Eſtque *conſtipatu ex binis heterogeneis; ex corpore* duro & *aethere.*

Hiſce, meditatione duce, perſcriptis, gratum accidit videre, quod jam ante hac alii idem de ſolis natura ſenſerint. Unum ſaltem ſuffragium celeberrimi Lipſienſium Profeſſoris, b. *Joh. Henr.* WINKLERI, ad Paradoxiae phyſicae invidiam declinandam, in medium proferre liceat. Et ipſe calculum huic adjicit ſententiae, & alium virum doctum hac in

(*) De hac quidem ſatis conſtat. Confer. *Johan. Baptiſt.* RICCIOLI *Almageſtum Novum, Parte II. lib. 9. Sect. 1. c. 7. p. 242.* & Joh. Baptiſt. du HAMEL *in Opp. Philoſ. Tomo I. Aſtronom. Phyſ. lib. 2. c. 1. n. 5. p. 62.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0045
DFG

causſa laudat, his verbis: (*) HAVSENIVS, *in diſſ.* de motus ſolaris theoria a. 1726. *habita, ſatis probabiliter docet, ſolem eſſe corpus SOLIDVM, ab extrema ſuperficie ad aliquam profunditatem verſus centrum, maſſa* CANDENTE *tectum; & maculas eſſe ingentes montes, congeſtos ex materiis, quibus corpus ſolare conſtat.*

§. 27.

Quod ſol NVCLEO ſolido *praeditus ſit,* probabile redditur.

Quod ſol qua interiorem ſubſtantiam ſit corpus *ſolidum*, admodum veriſimile reddunt MACVLAE SOLARES, de quarum exiſtentia inde ex anno 1611 inter omnes conſtat; Favente, vel ſaltem concordante, phraſi quadam, Pſ. 19. 5. obvia, qua ſol reſidere in Domo dicitur, (arcuata.)

I. E *Maculis ſolaribus*, nigricantibus iisque *fixis*, (nam dantur etiam variabiles, immo prorſus diſparentes) diſco ſolis inhaerentibus, in eadem ſemper Phoebi parte, colligere licet nucleum illum. Nam maculae, paralaxi carentes, intra ſpatium 27 Dierum, & 12 Horarum, 20 punctorum Minutorum, ac 16 Secundorum, quibus motu vertiginoſo circa axem proprium ſol revolvitur, redeunt in aſpectum eundem, a plaga orientali ad occidentalem motae. (Legi meretur diſſertatio Mathematica *de Maculis Solaribus*, Praeſide Rud. Chriſt. *Wagnero*, Mathem. & Phyſic. Profeſſore, a Joh. Bernhardo *Wideburgio* Helmſtadii a. 1709. habita, p. 14 -- 66. & in primis Joh. Frid. Weidleri, Prof. Mathem. Vitebergenſis, *Aſtronomia*, Viteb. 1754. 4.)

Licet viſibilis diameter earum varius ſit, conſtantia tamen ipſarum quarundam macularum dubio caret.

Diame-

(*) J. H. WINKLER *in Inſtitutionibus Philoſophiae Mathematico-Phyſicis §. 1270--1273.* Vide etiam ejusdem *Inſtitutiones Philoſophiae univerſae* (Lipſ. 1742. 8.) *Parte III. de Phyſica §. 1631. pag. 974.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0046
DFG

Diameter horum ſpatiolorum nigricantium, figurae vel ovalis vel rotundae vel irregularis, conficit partem diametri ſolaris modo centeſimam, modo quinquageſimam, modo triceſimam, modo viceſimam, pro magis minusve impedito aſpectu. Pars media earum nigra eſt, ambitus nebulam imitatur. Superiori anno 1772. in Ecclipſi Solari celeb. Aſtronomus, Jeſuiticus Pater *Maximil. Hell* teleſcopio Nutoniano, cujus radius unius pedis erat, vidiſſe ſe teſtatur maculas in ſole, carbonis inſtar nigras; duas quidem, in limbo orientali viſas, aequaſſe ſpatium 2000 milliarium germanicorum. (Notum autem eſt, maculas Solis a *Johanne Fabricio* Phryſio, ex Batavia reduce, quum patrem Davidem Fabricium inviſeret, & Solem tubo Belgico luſtraret, primum conſpectas eſſe a. 1611. deinde a *Chriſtoph. Scheinero* in Academia Ingolſtadienſi, & a *Galilaeo a Galilaeis* Mathematico Gedanenſi.)

Tempus, quo poſt ſolem commorantur, aequale eſt tempori, quod tranſitus earum in parte oculis noſtris expoſita conſumit.

Ab ortu verſus occaſum per ſolem feruntur, quumque in Occidentali parte diſparuerunt & aliquamdiu latuerunt, tandem in ora Orientali redeunt. *Motu* hoc, quem ſubeunt, oſtendunt, ſolem ab occaſu verſus ortum circa axem ſuum intra 27 dies, 12 horas rotari. Rectequе *N. Schmid von den Weltcörpern* (Hannov. 1766. 8.) p. 68. *Ihre Flecken beweiſen nicht allein die Bewegung der Sonne um ihren Mittelpunct, ſondern ſie ſetzen auch die kugelförmige Geſtalt derſelben auſſer Zweifel.*

Sed eaedem, addo, tamquam prominentiae ſolidi corporis indicaverint, quod nucleus ſolis conſiſtat *Subſtantia opaca.* Haec autem plurima ſui parte cumulo ſubſtantiae igneae, ſeu Pelago quodam Aetheris, conveſtita eſt. Haec ipſa autem augetur agitatione nuclei, ſiquidem hic celerrime, h. e. intra 27 dies, perpetuo circa ſe movetur, atque, materiae electricae inſtar, motu ſuo globulos aetheris commovet, ejusque ra-

dios lucentes reddit: qui, tranſeuntes per aërem impraegnatum, calentes evadunt.

II. Neque intercedit ullibi S. ſcriptura. Commendare potius hanc ſententiam videtur oraculum Pſ. 19, 5. ubi legimus: IN ILLIS (COELIS, *in vaſtiſſimis aëris ſublimioris regionibus, in quibus tot ſidera lucent, in medio*, inquam, *Syſtemate noſtro Planetario*) שָׂם FIXIT (*) *Deus lucenti illi materiae* & Soli TABERNACVLVM אֹהֶל h. e. SEDEM STABILEM, conveſtiendo denſum quendam nucleum lucidiſſima ſubſtantia, die 1. hexaëmeri producta; ita ut Deus corpus quoddam ſolidum & craſſius faceret lucis aethereae commune quoddam domicilium.

§. 28.

Num ſtupenda magnitudo Solis *diſſuadeat & evertat exegeſin noſtram?*

Obverterit quispiam, magnitudinem hodierni corporis ſolaris eſſe tam enormem, ut globus terraqueus vix puncti rationem ad corpus ſolare habeat, ac proinde veriſimile haud ſit, corpus aliquod *ſolidum* atque opacum *tam exceſſivae molis* exſtitiſſe.

At vero quis hodie ignorat, dari in rerum natura enormis

(*) שׂום notat *figere* Exod. 15, 25. *firmiter conſtituere*, ſtatuere, *ponere* aliquid in loco, ut ibi eſſe pergat. Gen. 21, 14. Habac. 1, 12. Jeſ. 44, 7. Pſ. 52, 9. אֹהֶל non ſolum caſam paſtorum, tentorium, tugurium, operimentum, tabernaculum, ſed etiam domum, palatium & quodvis *fixum habitaculum, manſionis perpetuae locum, patriam*, ſignificat Jud. 20, 8. 1 Sam. 17. 54. Pſ. 91. 10. Hinc etiam *Jeruſalem* Jerem. 10. 20. *urbem* Mal. 2. 12. ubi אהלי יעקב notat VRBES & pagos *Jacobi*, ſeu Judaeam: *Der Herr wird zur Strafe der ſich alſo auffuhrenden, alt und jung vertreiben aus dem Iſraelitiſchen* WOHN-ORTEN. Verbum Arab. أهل notat *familia in loco certo coexſtitit.*

mis magnitudinis corpora opaca? *Saturni* diameter complectitur *decem diametros Terrae.* (Vid. Academiae Scientiarum Parisiensis *Connoissence des Tems* p. 138.) Ac Saturni magnitudo ad magnitudinem Terrae se habet ut 980 ad 1. Quid? quod major est JVPITER planeta. Hujus magnitudo ad magnitudinem Terrae ut 1170 ad 1. se habet. Juxta calculum autem Christiani HVGENII, in *Cosmotheoros*, efficit diameter Jovis 37527 milliaria, quum diameter Terrae tantum efficiat 1720 milliaria. Atque adeo Jupiter superat Tellurem nostram magnitudine 10397 vicibus. Negatur, propter *Jovem.*

Concedatur praegrandis magnitudo cerporis Solaris. Detur, proportionem Solis ad Terram supra, p. 40. §. 23. relatam, justo majorem esse. Minori praehabita, adjicias calculum tuum iis, qui diametrum Solis ad diametrum Terrae esse docuerunt, ut 111 ad 1, cujus igitur Corpulentia est ad corpus Terrae ut 1367631 ad 1; seu rotundiori formula, cujus corpus ad corpus Terrae ea ratione refertur, qua *decies millia* ad unum. Largiare, Keilium & Keplerum mereri applausum, qui demonstrarunt,

A) Diametrum Solis se habere ad diametrum Saturni (sine annulo sumti) ut 37 ad 5, ac proinde magnitudinem Solis, aestimatam ad magnitudinem Saturni, esse ut $405\frac{1}{2}$ ad 1.

B) Diametrum solis se habere ad diametrum Jovis ut 11 ad 2, & exinde magnitudinem *Solis* putandam esse ad magnitudinem *Jovis* ut 166 ad 1.

Quin immo detur Opponenti, istam rationem p. 11. allatam minuendam esse, veriusque esse, quod alii Astronomi probarum iverunt, magnitudinem corporis solaris, prout nunc apparet, magnitudinem Planetarum *simul sumtorum* vincere 117 vicibus.

Attamen neganda est consequentia, istinc extorta; quasi corpus aliquod opacum SYMMAE magnitudinis exsistere nequeat, vel exsistere,

minus probabile sit; quum admiranda JOVIS magnitudo nos jam edoreat, solida corpora *excellentissimae magnitudinis* esse ἐν δυνατοῖς. Quapropter nec improbabile est, Deum extren[illegible]tudinis corpus opacum die 1, destinato *isto* consilio, ex nihilo creasse; ipsumque stagno aethereo die 4. contexisse.

§. 29.

B) De EFFECTIONE solis, die 4to. *Sol ita factus est, ut corpus ali-*

Quod die quarto Deus non nisi *formaliter* solem effecerit, TRANSFVNDENDO nempe lucem in opacum vehiculum, universum historiae Mosaicae filum spirat. Haec translocatio quidem haud κατὰ ῥητὸν edisseritur, sed tamen κατὰ διάνοιαν Gen. 1. 14. significatur. Per Antecedentia enim necessitas moralis exstitit τὸ עָשָׂה vertendi: *Deus* COMPOSVIT (*) *solem,*

(*) Obtinente hoc significatu, profligatur illa trita objectio, qua ἀξιοπιστίαν Mosis impetunt, dictitantes: Mose referente, sol & stellae innumerae, immensae quantitatis, brevissimum intra spatium, uno die, creatae sunt; Terra exigua intra quinque! *Wo bleibet da die Verhältniß zwischen den Werken Gottes? Komt es nicht eben so herraus, als wenn jemand erzählen wolte, ein Baumeister habe eine große Stadt, und ein Hüner-Haus gebauet. Dieses in fünf Tagen, und jene nur in einem Tage.* „(Charl BLOVNT *Oracles of Reason p. 71.*)

At vero 1) falsum est, Mosen dicere, quod unica haec *Tellus* intra 5 vel 6 dies creata & exornata sit. Sed dicit: Totum universum intra sex dies confectum esse. (p. 3.) Deum, (ut hoc utar) *totam urbem* intra 6 dies perfecisse; & quum urbis domus singulae sole indigeant, Deum singulis domibus, seu corporibus Totalibus opacis, & domo Terrae, solem lucentem uno die composuisse & dedisse.

2) Falsum est, quod sol & stellae fixae *uno die* fuerint perfectae (fertig worden.) Die primo tum lux tum corpora Totalia condita quidem sunt, (§. 2. 5.) sed in SOLES determinata & perfecta demum sunt compositione die 4.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0050
DFG

lem; non creavit ex nihilo בּרא quod Gen. 1. 1. legimus, ſed *quoad* FORMAM *eum fecit.*

quod opacum fieret Apotheca lucis, ante triduum productae.

In proclivi autem eſt oſtenſu, quod עשׂה notet 1) quomodocumque facere & perficere rem vel ſtatum novum rei 2) COMPONERE, *conſtruere*, *apparare*, e. c. *Noah fecit arcam* h. e. *compoſuit.* Gen. 6. 14. C. 8. 6; Deut. 32. 6. ubi explicatur in ſynonymica exergaſia per כּון *conſtabilire* הוּא עשׂך ויכוננך *ipſe fecit & compoſuit te.* Pſ. 139. 37. Eſ. 25. 6. Quin imo ex ipſa creationis hiſtoria Gen. 2. 3. haec ſignificatio in promtu eſt, (adeo neglecta a MICHAELIS l. c., ut loco elegantiſſimae ſententiae inde emergentis, nobis Textus immutationem obtrudere mallet vel temere offerat.) Hae ſunt origines שׁמים *corporum caeleſtium & terrae hujus, cum per potentiam crearentur, tempore*, inquam, connumerato, quo עשׂות *aptavit* ad uſus ſuos, per ſapientiam, potenter creata, COMPONERETque ſcite Jehova Elohim *& perficeret terram & coeleſtia corpora.* Quum vero Moſes tradat, *die primo* אור lucem creatam eſſe, eam lucem, quae in hemiſphaerio terrae, ipſi obverſo, diem fecit (§. 6.); & quum idem Moſes perhibeat, *die quarto* ſolem efformatum eſſe: Quisnam, obſecro, ſanus ſenſus poſterioris hujus propoſitionis de origine ſolis datur, quam hic, quod *Formale* Solis die quarto coeperit? ſeu, quod materiale lucis, diviſibile, applicatum inſitumque ſit die 4to uni corporum coeleſtium, שָׁמַיִם Gen. 1. 1. & quod Deus cinxerit globum quendam luce, h. e. aethere, motu agitatiſſimo gaudente, adeo ut globus iſte commiſſa illa trajectione & modificatione, ardere & ſummopere

3) Falſum eſt, id, quod intra quinque dies confectum eſt, unicae gallinarum domo ſimile eſſe. Nam innumerabiles Tellures ſeu corpora opaca, (*gallinaria*?) intra idem tempus concinnata ſunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0051
DFG

mopere lucere coeperit? Nihil relinquitur nisi hoc, quod die quarto jusserit Deus maximam copiam aetheream ex vastissimo lucis primigeniae apparatu segregari, in peculiaria loca perfugere, coire & cohaerescere cum ingentissimo & spatiosissimo quodam corpore, die jam primo producto, & sub voce שָׁמַיִם Gen. 1. 1. comprehenso, & inde ex die primo jam turbinante.

Hoc pacto igitur compositus & confectus est sol, σκεῦος θαυμαστὸν *admiranda machina*, Siracidi C. 43. 2. dictus. Sic ex die quarto demum mundus gaudet שֶׁמֶשׁ sole, i. e. *lucerna* globosa, *micante* corpore, fulgidissimo sidere, mundi magno *ministro* (*) per lumen.

§. 30.

Consensus aliorum de origine solis, ob τὸ σολοικοφανὲς *affertur.*

Simplicissima haec natales solis declarandi ratio facile, spero, probabitur rem, sine praejudicatarum opinionum remora, curatius expendentibus. Sed inusitata esse videatur. Ac vereor, ne vel ideo eam rejiciendam esse multi existiment, quod ea nulli eorum in mentem venit, quorum industria Mosen cum Mose conciliare studuit.

At vero non plane nova, sed vetustissima est sententia, in Theologia Patristica insignis. E. g. *Justinus Martyr*, saeculi 2. scriptor, ex philosopho Christianus, postquam omnes fere sui temporis sectas philosophicas degustaverat, binis Apologiis pro Christianis clarus; Solem, qui nunc centrum commune lucis datus est Planetis, asserit *indutum esse excellentissima lucis* TRABEA. Nisi hic statuisset eandem, quam proposuimus, solis compositionem *ex duplici materia* diversissima, non

(*) a radice Hebr. & Chald. שׁמשׁ ministravit, quae Arabice, *Schamasa* شمس *elaruit*, *micuit* dies, denotat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0052
DFG

non potuisset similitudine, a SOLE desumta, uti ad sic dictam Trabeationem seu ad mysterium circa unionem μονότροπον, & ad περιχώρησιν naturarum in Christo diversissimarum adumbrandam. Sic vero ille in libro de Expositione Fidei: „*Uti lux primigenia cum corpore* SOLARI *quarto demum die unita, facta est quodammodo* ἐνσώματος (corporeus), *ut nec extra Solem, nec corpus Solis absque illa exsistat, ita divina natura, in Christo, humanae juncta.*„ Recentioribus ex temporibus, provocare tantummodo libet ad judicium concinentis D. *Hieronymi* KROMAYERI, Theologi quondam in Academia Lipsiensi merito suo famigeratissimi: *Lux primigenia*, inquit, *corporum istorum* (Solis ac Lunae) *vicaria, in stellas*, SOLEM *praeprimis, postmodum verissimiliter congesta est.* In Spicilegiis mathemat. *Biblic.* edit. a Prof. *Hieron. Dicelio.* (Lipsi. 1702. 8.) pag. 7.

§. 31.

Si quaeris, QVODNAM *corpus Totale* Deus elegerit, ad lucem in istud die quarto translocandam? illudque in SOLEM nostrum transformandum? responderi vix quidquam poterit, nisi criterio *a distantia* & positu suo arcessito. Illud corpus totale evasit SOL iste, quotidie nobis conspicuus, quod tanto a Tellure distinguebatur & distinguitur intervallo, ut tormenti globus, a Terra ad Solem missus, eo tempore, quo unus arteriarum ictus in humano corpore absolvitur, per 600 passuum intercapedinem aequabili semper celeritate penetrans, post 25 annos ad illud pertingeret. Est illud corpus, cujus axis nunc ad Ecclipticam ita inclinatus est, ut inclinatio angulum graduum $7\frac{1}{2}$ efficiat. Ceterum ratione *materiae*, nucleum Solis esse *cautem magneticam* conjeceris. (§. 26.) Est autem *Magnes* nil nisi *mixtura ferri & lapidis, cui ob circulationem materiae subtilioris ejusmodi est structura, ut poruli ejus, ad circulum hujus materiae dispositi, eidem semper respondeant.* Quo minus prorsus temeraria videatur conjectura illa, de *Sole Magnete*, quamquam

Solis *locus & materia* magnetica.

poroso & quasi Spongioso & levioris gravitationis, haec duo intercedunt. 1) Quod ipse sol virtutem magneticam re vera exserit, & *parte amica radii ejus attractivi sunt*, usque ad Perihelium, *parte inimica autem propulsivi*, usque ad Aphelium. 2) Quia simile simili gaudet, & *quia vis electrica*, *a* SOLE *ad nos descendens*, in Meteoris illis igneis copiosa, quae Aurora Borealis appellantur, (pag. 15.) & ex eadem materia constant, qua fulgura, ferrum petentia, & tonitrua, amat Magnetem, afficit eum (*), & valde cognata est cum perfluviis Magneticis.

§. 32.

Stellæ FIXÆ quarto die.

Praeter Solem nostrum, reliqui etiam Soles, seu sic dictae Stellae Fixae, facti sunt. Id quod Moses brevissimis & quasi Parenthetice commemorat Gen. 1. 16. 17. ויעש אלהים אֶת הַכּוֹכָבִים ויתן אתם אלהים ברקיע השמים Et eam *composuit* confecitque Deus (hoc die quarto) *istas* STELLAS, *Scheingebende Welt-Cörper*. Nomine hoc formato a verbo כָּבַב quod Hebraice, Syriace, Arabice, Aethiopice & Persice notat *fulsit*, *splenduit*, affine potestati verbi אוּר *illuxit*, נָגָהּ *serenus fuit*, קָרַן *radiavit*, הֶהֵל *micuit* הִזְהִיר & הוֹפִיעַ *illustravit*. *Et* FECIT (**) *posuitque ea*, non stellas ὡς ἐν παρόδῳ attactas, sed

(*) De Convenientia *Magnetismi & vis Electricae* confer d. *Hannoeverisch Magazin* anni 1765. p. 858. 868. 885. Variationes acus magneticae tempore ignium undulantium borealium, in terris borealibus observavit CELSIVS, & nuper a. 1769 & 1770 Jenensis Professor J. E. WIDEBVRG in d. *Beobachtungen über die Nordlichter*. (Jen. 1772. 8.) pag. 35. 41 seq.

(**) שׂוּם, vt graecum τιθημι, saepius dicitur de re quocumque modo effecta, & vertendum aliquando est *facere* e. c. Zeph. 3. 19. שֹׂמְתִים לְשֵׁם *faciam eos illustres*. Jes. 13. 9. הָאָרֶץ לָשׂוּם לְשַׁמָּה Malach. 1. 3. וָאָשִׂים את הריו שְׁמָמָה & *feci montes eorum*, (regionem Idumaeorum montosam, agros & oppida) fieri jussi *in vastationem*. conf. supra p. 44.

sed Solem & Lunam, in *expanso coelorum* seu spatio celsiori §. 8. *ad illuminationem faciendam super Terra.* Nuntio Mose, igitur discimus, eodem die quarto alia quoque corpora opaca aliis in systematibus mutata esse in SOLES. Coopertaque sunt oceano quodam Aetheris adeo, ut, incensa, propria luce explendescere & lucere coeperint.

§. 33.

II. MOTVS ANNVVS Telluri nostrae datus est (§. 21.) & iste cursus circumcirca Solem die 4. ei attributus est, in quo semper collustrari a sole posset Terra, atque in ipsa, מוערים IV Tempora (§. 21.) ver, aestas, autumnus, hiems produci possent. Lunae item leges sui motus, quo rapitur circum terram, datae hoc die.

II. Revolutio Terrae annualis, *circa solem, die 4. instituta,* probatur.

Haec CVRSVS constitutio indicatur

1) Eo, quod Gen. 1. 14. dicitur: sint lumina. Sol & Luna. Sit sol לְהַבְדִּיל בֵּין הַיּוֹם וּבֵין הַלָּיְלָה ad praestandam vicissitudinem dierum & noctium, accessu nempe & recessu hemisphaerii Telluris.

2) Sint לאתת *in Signa*, in meteora dignostica, ut solis vel lunae ecclipsis fiat; Ratione lunae sunt *otot Menses.* וְלִמוֹעֲדִים & ולימים *& in dies,* וְשָׁנִים *& sint in* ANNOS. Quum die quarto demum hos Deus ordinaverit, non est obscurum, hoc die quarto, motum annuum sphaerae Terraqueae impressum esse. *Radii solares* autem quod sint *vectores*, & concaussae hujus motus, (prout ventorum flatus alas molae pneumaticae agitat) dubio hodie vacat. Accuratissime igitur Moses Soli tribuit, quod in ANNOS volvendos efficax sit; immo in *menses* lunares.

Accedit 3) quod dicitur Gen. 1. 16. de nostro Sole, eum, nostri Systematis regem, *praefectum esse diei;* & v. 16, Lunam

quoque factam esse splendidam, (*) seu Lunam, tamquam מאור *instrumentum lucendi* minus, praefecturam noctis accepisse; לממשלת הלילה, h. e. Sidus, *tempore tenebrarum* supremae magnitudinis visibilis, evasisse.

§. 34.

Ex die igitur quarto fit, ut Terra, axe suo ad planum Zodiaci inclinato, gradibus 66, 23, obvertens in una medietate polum suum Boreum soli, austrinumque avertens, in alia medietate austrinum polum Soli praesentans, Boreum autem ab illa removens, & axem suum semper sibi ubique Parallelum servans, easdem partes Fixarum semper respicientem, *per* TOTVM ZODIACVM in circulo elliptico CIRCA SOLEM REVOLVATVR diebus 365 horis 5. min. 49.

Ex hoc die 4to est ventus *Orientalis* perennis, nempe qui ab Oriente versus Occasum currit. Inde ex hoc die sunt venti fixi & perpetui inter Tropicos, venti ab Africa versus Americam spirantes. Ex hoc die motu circulari cietur Atmosphaera. Unde Ps. 77. 19. dicitur vox tonitru בגלגל in *Rota*, in *rotante* atmosphaera.

§. 35.

Reliquos Planetas, satellites atque Cometas itidem die hexae-

(*) Haec Luna, corpus opacum, jam aderat primo, secundo ac tertio die, Gen. 1. 1. (p. 19. 12. 15.) Sed die quarto nitescere coepit ex Lucis constitutione; Pariter ac Terra nostra, quae die 1. 2. 3. jam praesto fuit, nunc autem inde a die 4. mutuatitio suo lumine Selenitis allubescere coepit, per solem nempe illuminata. Licet enim ossatura solis, non demum die quarto locum suum systematicum occupaverit §. 2. sed primo jam die, LVX tamen die quarto primum loco Systematico locata est, & eo, unde radios suos regulari lege communicaret.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0056
DFG

hexaemeri quarto instructos esse motu proprio Periodico, & inde ab hoc die stadia sua inchoasse, analogia rerum suadet.

Excitatio Planetarum gyri,

Huc usque Planetae, ut Terra, tantum intra se motu verticali, qui diurnus nunc appellatur, circa proprium axem revoluti erant (e. c. Terra intra 24 horas, Mars intra 25 h. Jupiter intra tempus 10 nostratium dierum) nondum autem motu gyrali seu motu *lationis* moti erant. Jam vero acceperunt vim *centrifugam* (quo refugiunt se mutuo corpora,) vi centripetae (quo ad sui unionem tendunt) proportionatam, vi cujus, conjuncto motu Solis axico ejusque radiis vectoribus, Planetae motu curvilineo aguntur & circa Solem rapiuntur, seu versus centrum ejus tendunt.

Ex hoc die 4. igitur institutum, ut Mercurius, brevissimo tempori commensurabilem, circulum tribus mensibus decurrat, nempe - - - diebus 87, horis 17, m. 26

Venus, in circulo majori cursum perficiens, octo mensibus revolvatur, videlicet diebus 224. h. 17. m. 26.

Ut *Veneris* igitur reditus, medii sint inter Mercurii & Terrae restitutiones, medio fere arithmetico.

Ut *Mars* tardius, ad locum, quem prius tenuerat, post duos fere annos redux sit; nimirum - diebus 321. horis 22. m. 24.

Ut *Jupiter* absolvat circulum suum fere intra 12 annos nostrates, nempe - - - annis 11. diebus 317. h. 17. min. 49.

Saturnus, a Sole remotissimus, fere 30 annos moveatur, quippe conficiens cursum - annis 29. diebus 164. h. 23. m. 8.

Satellites Jovis & Laterones Saturni aeque ordinati; ac *Lunae* vortex, eam cum Terra conjungens.

& Cometarum cursus.

Cometa est corpus mundo coaevum, non sphaericum, sed *disciforme*, *die hexaemeri primo productum* (diss. p. 19.) solidum, compactum, durabile, instar Planetarum; In orbibus ellipticis & valde excentri-

centricis circa Solem ambulans: seu, brevius, Cometae sunt *Planetae* primarii ordinarii, *in Parabolis* (praelongis ellipsibus) *circa Solem moti.* Appellari possunt *stellae*, significatu secundario, quia in coelo apparent, splendentque luce solis, a se reflexa; & per certum temporis spatium, Planetarum more, a Fixis ad Fixas moti, oculis nostris subducuntur.

In Perihelio immensum calorem a Sole suscipiunt, eumque diutissime conservant. Pars eorum, Soli obversa, dicitur *Caput.* Sed *Coma* eorum dirigitur semper in partem a Sole aversam.

Quia coma pellucida est, adeo ut stellae per eam conspici queant, ea ex humidis aquosisque vaporibus non constat, sed *electricae* potius materiae exhalatae, esse, existimatur hodie.

Numerus Cometarum non est exiguus. *Stanislaus* Lvbiniezki in *Theatro Cometarum* numerat 455, qui usque ad AC 1665 apparuere.

Motus cometarum regularis & certis legibus adstrictus est, atque datur Zona quaedam Cometica; qua de re egit Cassini in Zodiaco Cometaram.

Periodicus cursus est varius, de quo confer. *Leonh.* Evleri *theoriam motuum Planetarum & Cometarum*, & Halleji *Cometographiam.* Sed tamen certum est quotundam tempus Periodicum. Complectitur illud

annos	75	- - e. g. Cometae illius, qui apparuit anno 1456. 1531. 1607. 1682. 1758.
- -	$94\frac{3}{4}$	ut cometa a. 1677.
- -	129	ut Cometa a. 1661.
- -	138	ut cometa visus a. 1652.
- -	149	- - 1665.
- -	294	ut cometa visus a. 1596.
- -	321	- - a. 1585.
- -	575	ut cometa, qui visus in obsidione Trojae, ac tempore Ogygis; tempore Julii Caesaris occisi; A. C 531. a. 1106. a. 1680.

Conf. Mavpertvis *Versuch einer Cosmologie.* (Berl. 1758. 8.) pag. 78.

ACTA

ACTA DIEI QVINTI Gen. I. 20 — 23.

§. 36.

Quinto die, quo incipit productio rerum viventium & sentientium, Deus produxit duo:

I. AQVATILIA (*) & *natatilia*, (amphibia quoque) in loco aquae, cui nulla vis effectiva erat.

II. VOLATILIA, quae ab aëre vehi possunt. (quorum 2090 species numerantur.)

(*) Aquatilium hodie numerantur 2050 species. Amphibiorum. 325.

§. 37.

Incolae aquae & aëris: pisces & volucres.

Huc usque mundi theatrum erat pulcherrimum quidem atque amoenissimum, sed fuit vacua quasi domus, non habens incolam vivam, ne scarabaeum quidem vel muscam. Nihil in aëre, nihil in aqua movebatur. Sed hoc die, servato apposititissimo ordine, fiebat initium VIVORVM, hoc est, *sentientium* & sese loco moventium. Deus, qui dat omnibus vitam & halitum, cunctaque, Act. 17. 25. 28. hoc die quinto non omne genus animalium prodire jussit, sed tantum creavit animantia ovipara & vivipara, in AQVAE & AERIS *fluido diaphano* degentia; caudis, quorum remigio iter suum dirigunt, & pinnis alisque, nec non squamis ac pennis sibi invicem *quodammodo similia*, loco etiam exercitii motus sibi similia; dum pisces in fluido inferiori, & aves in fluido superiori, aëre, terrae proximo, natant.

§. 38.

Mosis narrata de die Vto.

In narratione Mosaica de die V occurrunt quatuor momenta. I. Dei *Jussio* v. 20. II. Jussionis *Effectus*. v. 21. III. Operis *approbatio*. IV. *Benedictio*. v. 22.

§. 39.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0059
DFG

§. 39.

Gen. 1. 20.

I. Jussio divina liberalissima v. 20, duplex spectans objectum,

Mandatum creatorium.

A) de Aquatilibus haec est: ABVNDE PROGIGNANT (sic שָׁרַץ de bestiis Gen. 8. 17. de hominibus Exod. 1. 7.) seu *ebulliant magna copia, copiose effundant* AQVAE (maria, lacus stagna, flumina, fluvii, rivi) REPTILE שֶׁרֶץ creaturam moventem se נֶפֶשׁ חַיָּה *substantiam* VIVENTEM, (seu vita, sensatione ac motione florentem.)

B) de Volucribus haec est: VOLATILE (יְעוֹפֵף in Piel) *abundanter volitet super terra, in superficie* רָקִיעַ *elastici illius* expansi (§. 8.) *& fluidi* (§. 11.) *coelorum.* Verto: *Es bringe das Gewässer häufig hervor* שֶׁרֶץ *webende, (einen Wackel-Gang habende) Thiere, die da leben. Und das Gevögel fliege* עַל הָאָרֶץ *über und an der Erdkugel, der Unter-Gegend des hoch ausgebreiteten Luft-Raums.*

(a) Hanc vocem יְעוֹפֵף *copiose volitet*, omisit tum versio *Septuaginta-viralis Graeca*, &, sequax ipsius, versio *Aethiopica*, circa. A. C. 330. facta, & a Th. Petraeo edita (Lugd. Bat. 1660. 4.); nec minus *Vulgata*, sic habens: *Producant aquae reptile animae viventis; Et volatile super terram sub firmamento coeli.* Aberrant hae versiones in eo, quod *producant* conjunxerint cum, *volatile;* omiserint autem verbum יְעוֹפֵף, insuper habentes Stichmatologiam sacram *Atnachi.* Lutherus suspicatus est, ellipsin אֲשֶׁר ante voces עַל פְּנֵי adsciscendam esse, ideoque inseruit das seu *welches auf der Erde fliege.*

Erronea illa versio, (*aquae producant volatile*) progenuit falsam hanc sententiam, quod aves *ex aqua* productae sint: quae tamen Gen. 2, 19. diserte *volatilia coeli ex* TERRA *formata* appellantur. Sic censuit *Augustinus* lib. 3. de Genesi c. 5 & 6. *Fulgentius* de Fide, ad Petrum c. 3. & Patres Latini propemodum omnes, hodieque multi.

Ipsum

Ipsum *Jac. Theod.* KLEINIVM *in der Vorbereit. zur Vogel-Historie*, (Lipſ. 1760. 8.) pag. 12. video iſtum errorem erraſſe, quod locus originalis atque principium alitum ſint *aquae*. Rationes ipſius hae ſunt: Quia, ſi volatus avium dumtaxat Gen. 1. 20. 21. imperatus eſſet, nullibi creationis avium mentio foret facta. RESP. יְעוֹפֵף VOLITENT *alites*, eſt praegnans dictio. Involvit ea creationem, & indicat tria: *Exſiſtant! Adultae* (§. 18.) exſiſtant! Simulatque adultae exſiſtunt hi oſcines agiles, *Elevent* ſe volando! Volo ut primus actus, quo praeſentiam ſuam oſtenderint, non ſit ſubſeſſio vel ſaltatio in terra, ſed evolatio. Juſſit Deus, ut univerſa eorum examina aſſurgerent in auras, & ſeſe per inania nubila librarent.

Apparuit liquido ſublimis in aëre niſus.

Ratio altera eſt: Quae e *terra* producta ſunt, pertinent unice ad diem ſextum, non vero ad diem quintum; Hinc productionem e terra, quinto die factam, futuram fuiſſe confuſionem & migrationem ſapientiſſimi ordinis divini. RESPONDEO. Utrumque *Petitio Principii*. Nonne jam die tertio creaturae quaedam, PLANTAE, e terra productae ſunt? (§. 15.) Praeterea diſtingue, *e terra unice creari*, & *e terra aquae permixta creari*, quod differt. Fortaſſe e fundo fluviorum quaedam volucres creatae ſunt, hariolatur *Matthaeus Pool in Obſervationibus Bibl. Tomo I.* (*ab A. Tittel Germanice editis Lipſ. 1746. 4.*) *pag. 8.* Vel ſi hoc dederimus, atque conceſſerimus, aves palmipedes, *Mergorum* genera, *anſeres marinos*, *Meropem*, *Larum majorem & minorem*, *Anatem Indicam*, *Gaviam cinericiam*, *Cygnum* aliasque, quae undis inhiant, ex elemento terrae *humidae* productas eſſe, remanet tamen, volucria ex *Humo* potiſſimum (Gen. 2. 19.) creata eſſe.

Dantur autem INSECTA alata, ut Apes, Hebr. דְּבוֹרָה h. e. avicula *pungens*) Veſpae. Dantur, quae vaginula quadam pennas incluſas habent, ut cantharis. Dantur cruſtacea, ut locuſta, & bruchus יֶלֶק

a *lingendo* dicta, quia herbas linguit pascendo. Quaeri igitur posset, annon hujusmodi *Insecta* (a) VOLATILIA itidem ad diem quintum referenda sint? praesertim ea, quae pergrata avibus esca esse solent? Decisionem dabit vera significatio vocis עוף כנף Gen. 1. 21. quum Ps. 148. 9. Gen. 7. 14. reperiatur צִפּוֹר כָּנָף.

§. 40.

Jussionis divinae ordo

Quaeritur, cur Creator pisces prius ad exsistendum evocaverit, quam aves? Nec tamen inficetum est, respondere, quia aves *perfectiores* creaturae sunt piscibus. Deus autem, *mundum*, h. e. *res exsistentes finitas, in mutuo nexu constitutas, creans*, GRADVALEM viam in producendis entibus percipientibus tenuit. *Pisces & Alites* ad percipientia inferioris ordinis pertinent, quia in realitatis connatae gradu, ultra quem numquam prosiliunt, subsistunt. Sed Aquatilia (& שֶׁרֶץ h. e. *animata reptilia, serpentia, natantia*, quae pedibus carent vel breviores habent pedes, quam ut iis incedere valeant.) imperfectiora sunt. Hebetioris naturae *sensus* ipsis est tum *externe*, ut visus atque auditus, tum *interne*, qua memoriam. Distinctioque membrorum corporis in iis minus apparet.

§. 41.

Jussionis effectus Gen. 1. 21.

Excepit mandatum divinum promtissima exsistentia omnium ordinum I. AQVATILIVM, tum *fluviatilium & lacustrium*, tum *Marinorum*, sive laevium sive squamosorum testaceorumque, cum cartilagineis, tam MAIORVM quam minorum.

II. VOLATILIVM. Mosis hac de re verba Gen. 1. 21. verteris: *Et mirabiliter produxit Deus* הַתַּנִּינִם *animalia maxima* (*) *aquatica. Gott schuf die wegen ihrer Größe bewundernswürdigen Wasserthie-*

(a) *Insectorum* species generatim, sive in volatilium sive reptantium numero sint, numerantur 10300; sed *vermium* species 2025.

ſerthiere, und jede (übrige) *lebendige Creatur, welche ſchwimmet; als welche nun die Gewäſſer häufig hervorbrachten, nach ihrer* (verſchiedenen) *Art. Und Gott ſchuf ein jedes Geflügel, mit Gefieder und Flügel-Decken verſehenes, Geſchöpf.*

(*) תנין לויתן يتين *animal praelongum, inſtar anguinum* (Sed Mich. 1. 8. *horridam vulpem, ejulantem*, Ebn Wawi dictam, intelligendam eſſe, Pocockivs docuit) ſignificat. Exod. 7. 9. 10, hinc *dracones*, & *crocodilum*, nec non *cetaceos* piſces *Jeſ. 27. 1. Job. 40. 20. Pſ. 148. 7. Jerem. 14. 6.* utpote admirandae longitudinis, craſſitieique. Balaenae igitur h. l. connotantur. *Aelianus* Lib. 1. c. 17. cete dicit eſſe ad Elephantum, vel maximum, proportione quintupla. *Strabo* l. c. lib. 16. longa 50. cubitorum. Juba apud Plinium lib. 2. c. 1. pedum 600. long. 60. latit. intraſſe in mare Arabiae ait. *Baſilius* in hexaemero homil. 7. ὄρεσι τῶ ὄγκῳ τὸ σώματος παρισάζεται. De Dracone marino Norwegiae, longo 60. Fila, jugeri inſtar, vid. *Joh.* Jonston *hiſtor. natural. de Piſcibus & Cetis* (Heilbron. 1767 fol.)

§. 42.

III. Et *Vidit* (*) *Deus*, quod perfectiones ad eſſentiam harum creaturarum pertinentes, juxta typum, qui in intellectu divino fuerat, iis ineſſent, ſeu *quod bonum eſſet:* Operis approbatio Gen. 1, 21.

(b) Prof. Altonav. J. C. Sticht autumavit, in hac formula, (quae *ſepties* v. 3. 10. 12. 18. 21. 25. 31. occurit, vocem וַיַּרְא Hiphilicam eſſe, & vertendam eſſe, und gott legte an den tag, liess sehen, *daß er gut, und das allergütigſte Weſen ſey.* Verum enim vero licet dogmatice vera aſſerat, hermeneutice tamen verum non ſit. Ex *Accuſativo* enim, qui verbo וַיַּרְא adjunctus eſt v. 3. Et vidit lvcem, *quod bona eſſet*, ſatis manifeſtum eſt, verbum Active ſumendum eſſe, & טוֹב referri debere non ad Deum, ſed ad creaturam; & *optimismum* mundi

declarare. Quod Deus benignissimus sit, jam nomine אלהים (§. 2.) ob universitatem perfectionum summarum venerabilis, edisseritur. Diss. p. 19. 22. Nec ille benignitatem unice vel praecipue ostendit, sed aeque sapientiam & potentiam, liberrimumque arbitrium manifestasse per creationem, censendus est.

§. 43.

Benedictio, non verbalis, Gen. 1. 22.

Benedictio divina circa utrumque genus, aquatilia & volatilia, accessit. Hac Deus, super Plantarum ordinem, (de quibus ejusmodi benedictio Gen. 1. 11. 12. haud legitur) haec VIVORVM genera evexit. וַיְבָרֶךְ Et *benedixit iis* benedictione reali.

est infusio vis propagationis

Haec absolvitur tum *impertitione foecunditatis*, tum prospero conservationis successu. Illa copulavit cum data aptitudine genitorae, instinctum & magnam cupiditatem ad commixtionem; ut quia individua perennare nequeunt, in foetibus succrescentibus ea perennent & multiplicarentur. Discrimen tamen benedictionis est. De piscibus adhibetur vox REPLERE aequor. De avibus tantum *multiplicari*.

ACTA DIEI SEXTI. Gen. 24 — 31.

§. 44.

Diei sexti duo nova phænomena: *animalia terrestria*, & *homo*.

Sextum diem reservavit providentissimum Numen cunctis, praeter aquatilia & volatilia, *animalibus*, partim ad humani corporis conditionem propius accedentibus, viviparisque, partim pedibus, ut homo, in terra ambulantibus; simul vero formationi HOMINIS. Duae sunt igitur, quae hunc diem nobilitarunt, divinae operationes.

I. ANI-

I. ANIMALIVM quadrupedum (*), & multipedum, *aridis* in Telluris locis verſantium, *productio*, ſecundum varias ſpecies ſuas. Gen. 1. 25.

II. HOMINVM (אָדָם) a) non niſi *duorum*, unicae ſpeciei, quamquam diverſi ſexus, *maris ac feminae*, *creatio*. Gen. 1. 26 — 30. C. 2. 22.

a) Ipſum *nomen* hominis genericum, *Adam*, Gen. 1. 26. memorabile! Radix hujus vocabuli eſt verbum אָדַם quod notat,

1) primo EXCELLVIT. Deinde excellere colore, (excellentes autem colores ſunt ruber & albus) h. e. dictus hebraice EXCELLENTIA!

2) *rubuit*, rubicundus fuit. Arabice autem ادم notat *fuſcus evaſit*, *ruſſus fuit*. (fleiſchfarbig) Hinc de vino orientali, admodum *rubro*, (quale a Chriſto domino in S. coena adhibitum) תְּאֻדָּם Prov. 23. 31. adhibetur. Inſtar *ſanguinis* vinum orientale rubrum fuit Gen. 49. 11. Deut. 32. 14. Conf. 1 Sam. 16. 12. C. 17. 42. 2 Reg. 3. 22.

3) *fulſit*, *ſplenduit*, ſumme candidus fuit. Sic Thren. 4. 7: *Corpore* CANDIDIORES *fuere margaritis*, cum nive concoloribus. Cantic. 5. 10. *Sponſus meus eſt* CANDIDVS, *nitidus*, *lucidus*, ſumma albedine nitens. Hinc אֹדֶם ἄδαμας, gemma ſplendens, ob luculentiſſimos albos, quibus ſcintillat, radios. Vid. *Jo.* BRAVNII egregius liber *de veſtitu Sacerdot. Hebr. Lib. 3. c. 8. §. 5.* & BOCHART *Hieroz. lib. 2. c 6. 7.*

4) *pulcher & jucundus*, *perfectus*, *mundus elegans & formoſus* fuit, in lingua Aethiopica *Adam* notat. Re igitur bene putata, nomen, *Adam*, non ſignificat *terrigenam*, *ſeu e terra factum* (animalia, itidem

(*) Horum numerantur hodie 210 ſpecies. vid. J. *Beckmann* l. c. pag. 6. Conf. *Reich der Natur und Sitten T. V. 353. 385. VI. 33.* HALLEN *Naturgeſchichte der Thiere* p. 204.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0065
DFG

e terra facta) ſed EXCELLENTEM, *Principalem*, *perfectum*, reſpicique tum utramque hominis partem eſſentialem, tum ſtatum. Ineſt ei epiphonema!

respectu animalium.

Blicke dich doch ſelber an
PRINZ *und Haupt belebter Dinge!*
Alles, was man ſchätzen kan,
Iſt zu deinem Wehrt geringe.

Re vera praeſtat & excellens vocari poterat tum ratione *Corporis* humani. Nam id *manibus* technicis (*) inſtructum eſt; *loquelae* organis; Ei os ſublime,

Coelumque tueri ut
poſſit, *& erectos ad ſidera tollere vultus;*

Tum ratione *animae* facultatum habita, nec minus imaginis divinae, tum dominationis divinitus, homini אדם בצלם; *antiſtiti creaturarum* Gen. 2. 19. traditae, tum intuitu *deſtinationis*, ad felicitatem aeternam in conjunctione cum Deo agnito. Quid igitur mirum, quod homines Pſ. 82. 7. appellentur PRINCIPES, & *Adamus*, primus hominum ſaluteretur primus PRINCIPVM & principatum tenentium, in exergeſia hujus verſiculi. אכן כאדם תמותון וכאחד השרים תפלו *Profecto, ut* ADAMVS, *moriemini, & ut primus* PRINCIPVM *occumbetis.* De אחד primus, vid. Dan. 10. 13. cf. C. 6. 2. 1 Sam. 16. 8.

§. 45.

Tres claſſes animantium.

Triplicis generis animantia, die 6, e Terra producta eſſe commemorantur:

1) חַיַּת הָאָרֶץ FERAE; ut leo, tygris, cervus,

2) בְּהֵמָה

(*) J. H. ALSTEDIVS in *Lexico Philoſophico* p. 3233. connumeravit 12200 potentias manus humanae, quibus fit ut homo ſit, ſcriba, typographus, ſtructuarius, aurifaber, muſicus, opifex - - Sed nondum ex aſſe numeraverit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0066
DFG

2) בְּהֵמָה *beſtiae domeſticae* & manſuetae, b) ut cameli, equi, vaccae, oves. Sed, quia in juſſione v. 24. vox חיה poſtponitur voci בהמה, in exſecutione autem v. 25. praeponitur, diſcimus, utrumque genus uno eodemque actu creatorio *ſimul* productum eſſe.

3) רֶמֶשׂ הָאֲדָמָה c) GRESSILE *humi*, h. e. tum animalia *brevioribus* pedibus, 4 vel pluribus praedita, tum exſanguia repentia.

a) Per חַיָּה (creatura ſenſitiva) h. l. intelligendas eſſe *feras*, documento eſt tam appoſitio *terrae*, quam oppoſitio תֵּבֵל *Behemah*. Nam quando additur voci חַיָּה vox אֶרֶץ vel שָׂדֶה, denotantur ferae agreſtes ſilveſtresve, ut Pſ. 8. 8. 1 Sam. 17. 44. Jeſ. 18. 6. Deut. 28. 26. Jerem. 7. 33. Sic etiam *Aben Eſra* ad Pſ. 148. 10. annotavit: חיה שאובה בישוב בהמה שהוא בישוב „*Chajjah eſt animal, quod non eſt* & degit *in locis* habitatis. Behemah autem eſt, quod *in locis habitatis* commoratur.„ conf. BOCHART *Hieroz. lib. 1. c. 2. col. 4 & 59.* Talmudicis quoque idem obſervatur. Statuunt enim, adipem תֵּבֵל חיה FERARVM comedere, licitum eſſe; opus tamen eſſe, ut earum ſanguis terra obtegatur. Contra neminem obligari ad ſanguinem בהמה, animalis domeſtici, tegendum; ejus vero adipe abſtinendum eſſe. Vid. MAIMONID. hilch. *Maachal Aſur* c. 1. §. 9.

b) Radix hujus vocis in lingua Aethiopica ſuperat, בהם *mutus fuit*. Generatim בְּהֵמָה deſignat 1) animal ἄφωνον, ſive fera, ſive cicur ſit. Hinc leo Mich. 5. 7. inter Behemoth refertur. Speciatim, ubi diſtinguitur a חיה, notat 2) omne domeſticum pecus, Num. 35, 32. & alibi tum 3) *quadrupes* animal, tum 4) quadrupes majus, jumentum, ut genus equinum & vaccinum.

c) רֶמֶשׂ inquit *Bochart l. c. c. 4. col. 23.* plerumque in ſcriptura ſacra ſumitur *pro quovis animali*, *quod non* eſt בְּהֵמָה ſeu *quadrupes*

pes aliquantae molis, neque avis, neque piscis. Sic reptilibus accenset Moses MINIMA QVADRVPEDVM, *mures & talpas* Levit. 1. 29. *& exsanguia; (sive supra ventrem serpentia, sive quadrupeda sint,* ut locusta, *sive multipeda*, ut Scolopendra. Lev. 11. 22. 47.

Objectio contra perfectionem mundi gradualem.

Consveta,(supra §.40.) & vera annotatio interpretum est: *Auctorem Naturae sapientissimum in creandis rebus vivis progressum esse ab imperfectioribus ad perfectiora.* Sed institerit aliquis objiciendo: Huic theoremati contrariari hoc, quod Moses referat רמש *reptilia*, abjectissimas creaturarum, reliquis omnibus ignobiliores, imperfectiores & minores, die sexto, proxime ante homines, condita esse. En! igitur exceptionem a regula.

Sed temerarium sit, quam parum & quam multum perfectionis metaphysicae creaturis insit, definire velle. Saltem eodem jure, quo opponens utitur, negavero, OMNE רמש diei sexti, quia exiguum est, imperfectius esse, creaturis, die quinto productis. Dubitem, an bombyx imperfectior natura sit ista Peruviana ave, *Kumtur*, tanti roboris, ut puerum 12 annorum suscipere & inter volandum gestare polleat, ac devorare. Nego, minimum vermiculum imperfectiorem esse ceto vastissimo. In illo major admiratio bene considerantis, & laus uberior omnipotentis, Dei artificis: Qui in tantillo corpore immensae subtilitatis valuit tam multa ponere, & distinguere, membra, quibus spirat venter, ova parit, dentes, proboscidem, quasi linguam ad gustandum &c.

Admirantur horologium illud, in DIGITO, instar ANNVLI portatile, reginae Angliae oblatum, subtilissimis ex partibus artificiosissime constructum. Sed quoties video illud animalculum apteron, non majus arenulae atomo, stupenda agilitate pedum in libri pagella discursitans, *Acarum*, non solum illud horologium Anglicanum conspicere mihi videor, sed etiam multo excellentius & admirabilius artificium; siquidem non solum longe subtilius est, sed etiam tot sensibus praeditum, atque tam multas functiones obire potest. *Nosci-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0068
DFG

Noſcitur ex minimis divina potentia rebus.

In ſingulis רמש־עז generibus deprehendimus ſingularem ſtructuram, organorum diverſorum elaborationem, varietatem, certos uſus. Animadvertimus quoque in unoquoque Reptili peculiares INSTINCTVS, h. e. *conatum naturae animalis, quatenus eſt ratio ſufficiens appetitus ſenſitivi vel averſationis cujusdam ſenſitivae;* e. c. *araneae* inſtitutum, ſimulatque nata eſt, aucupia & retia admirabilis ſolertiae texendi & appoſitiſſime locandi; *formicarum* inſtinctum, ſemina non niſi *eroſa* condendi, ne rurſus in fruges exeant, madefacta ſiccandi. Mirum quantum perfectionis phyſicae τῷ רמש, ſive ἀπόδῳ ſive βραχυπόδῳ, ineſt. Sed quamquam, quod fateor, iſti objectioni, per ſingula eundo, ſatisfacere nequeam, nec demonſtrare valeam, quodcumque ſerpens repensque in terris, eſſe metaphyſice *perfectius rebus die quinto conditis*: tamen divinae gloriae nihil derogatur noſtra ignorantia. Oraculum Prov. 16. 4. ſic verto: כֹּל פָּעַל יְהוָה לְמַעֲנֵהוּ *Omnes res ordinavit Jehovah, quemadmodum earum natura, indoles atque finis popoſcit.* Cohel. 3. 11. אֶת־הַכֹּל עָשָׂה יָפֶה בְּעִתּוֹ *Omnia fecit pulchre & harmonice tempore* SVO h. e. convenientiſſimo. In his acquieſcendum, ſtatuendumque, Deum exquiſitiſſimo tempore Reptilia ad exſiſtentiam evexiſſe. Sed in promtu eſt etiam alia reſponſio: quae defenderit, Deum Reptilia die 5. creando, proceſſiſſe ad ea, quae, in nexu univerſali cum ceteris ſpectata, *perfectiora* erant praegreſſis. Probe videlicet tenendum eſt, רמש non tertio aliquo diei actu productum eſſe, ſed vno eodemque Edicto creatorio, *feras, bruta domeſtica, & reptilia eſſe* producta. (pag. 63.) Hoc trinum autem aggregatum, ſi CONIVNCTIM *ſumatur*, tamquam productum *unum* trifolium Gen. 1. 25, eſſe perfectius quidpiam, in propatulo eſt.

§. 46.

Proxime ante Sabbathum, admirationi & laudibus auguſtiſ-

Opus secundum sexti diei est HOMO.

gustissimi Creatoris dicatum, die sexto, (§. 44.) creatus est HOMO, h. e. *substantia constans e corpore organico*, seu apto ad certos motus, fini suo congruentes, *& ex anima rationali, arctissime inter se*, citra confusionem tamen, *unitis*. Anima est *res incorporea, cui intelligentia inest*, aut, si mavis, est *natura simplex & individua, vim habens cogitandi, dijudicandique, ad commercium cum corpore humano destinata*. Prius autem זָכָר seu אִישׁ, sexu praeditus virili, creatus est, quam אִשָּׁה ἀνδρὸς *vira, seu virissa, (virago,) homesse*, femina. 1 Tim. 2. 13. Ἀδαμ πρῶτος ἐπλάσθη, ἔιτα Εὔα. Non ex incogitantia vel casu. Sed hoc Dei consilio, ut, primarias partes sexui virili a DOMINO delatas esse, a genere Feminino, nunc eo modestiori, & minus irritato, intelligeretur. Sir. 49. 20. In quavis societate pars quaedam *potior* adsit necesse est, cui in casu collisionis, tandem votum decisivum competat. Vel in statu innocentiae homines si permansissent, eminentia quaedam maritis divinitus decreta fuerat. Hoc Deus actione sua innuit, & fundamentum naturale subjectionis muliebris substernere voluit. Nec hoc verbum Dei Gen. 2. 18. *Faciam viro in ejus solatium* עזר *adjutorium*, sapienti Dei consilio caruisse, docet Apostolus 1 Cor. 11. 9. καὶ ἐκτίσθη ἀνὴρ διὰ τὴν γυναῖκα, ἀλλὰ γυνὴ διὰ τὸν ἄνδρα. *Non creatus est vir propter uxorem, sed uxor propter virum.* Quod auctoritatem viro majorem conciliat.

primo mas.

dignior

§. 47.

Neque vero una actione masculi corpus & anima, sed duplici diversa actione divina: ad diversitatem utriusque partis hominis essentialis (§. 46.) confirmandam; creata sunt.

§. 48.

Corporis *Adami origo.*

CORPORIS Adami narratur & *Materia & Effictio.* Praejacens materia fuit *pulvis, e terra vulgari*, paradisiaca, sumtus. Gen. 3. 19. & Gen. 2. 7. Sir. 17. 1. C. 33. 10. De Effectione legimus

gimus Gen. 2. 7. ויצר יהוה אלהים את־האדם עפר מן האדמה *Et efformavit ens ipsissimum & Realissimum* a), *Trinunus adorandus hominem* (*quatenis pulvis est*, seu partibus constans materia, extra se invicem positis, seu, quod malim, subaudito מ ante עפר ut Es. 52, 2.) pulverulentum, e PVLVERE, e TERRA vulgari, cui insistimus, sumto; non ex comminutis vegetabilium foliis.

Quia יָצַר notat 1) *Produxit* in suo genere: unde etiam Zach. 12. 1. de spiritu hominis adhibetur, & a LXX Jos. 22. 11. vertitur πτίζειν 2) *Finxit* instar figuli, h. e. *interne & externe disposuit*, commiscuit, & configuravit; Existimem vocem ויצר *omnimodam* elaborationem enuntiare, adeoque hoc inferre, *Fecit Deus Corpus humanum tum ratione* SVBSTANTIAE, *tum ratione* MIXTIONIS, *ut nempe e principio, aqueo inflammabili & mucilaginoso atque terrestri constaret*, & constet; (tam heterogeneis principiis, ut corpus hominis, sibi relictum & sine anima, promte in putredinem abeat;) *tum ratione* STRVCTVRAE: *fecit, ut e partibus firmis & fluidis, artificiose aptatis, esset constructum;* (& saepe Deus, hominis creator, laudatur tamquam Figulus, ex argilla seu terra humida confingens vasculum, Rom. 9. 20. Jes. 64. 8. Jes. 29. 16. Jerem. 18. 2.) *Tum ratione* FIGVRAE: *ut corpus humanum hos artus, hanc speciem externam elegantissimam, prae se ferat.* (Sic יצר de Formatione membrorum Ps. 94. 9.)

§. 49.

De ANIMAE Adami *tum creatione tum conjunctione cum corpore*, seorsim facta, interveniente aliqua mora, utique capienda sunt

ANIMAE humanae origo

1 2

(a) *Philologice* novam derivationem, & enucleationem nominis *Jehovah*, in quo nihil est quod non sit Deus & essentia, vide in dissert. nostra de *Gloria Dei*. Kilon. 1769. p. 18. 19. 14--17.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0071
DFG

sunt verba Gen. 2,7. וַיִּפַּח בְּנִשְׁמַת חַיִּים וַיְהִי הָאָדָם לְנֶפֶשׁ חַיָּה *Et inspiravit Deus in nares ejus* SPIRACVLVM VITAE, h. e. 1) Deus fuit immaterialis & immediata caussa efficiens *spiraculi incorporei istius, quod est caussa vitae* (*); extrinsecus Deus & quidem, qua caput, injecit homini *spiraculum vivificans*, quod vitam corpori communicat; spiraculum, rem immaterialem viventem, cujus effectus est in corpore vita & activitas. 2) Deus *simul halitus reciprocationem*, e praesentia, nunc intra Adamum creatae, animae oriundam, instituit. *Et factus* est seu transmutatus hoc ipso *homo* in נֶפֶשׁ PERSONAM (**) *vivam.* 1 Cor. 15. 45. Ἐγένετο πρῶτος ἄνθρωπος Ἀδαμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν Factus est primus homo, Adam, in *animatum personale, vita utens.*

§. 50.

(*) Ad hunc locum alludit locus Prov. 20. 27. נר יהוה נשמת אדם *spiraculum seu Anima hominis est lucerna* DOMINI, seu a Deo ipso accensa activitas. Nec minus Ezech. 12. 1. Hiob 33. 4. Spiraculum omnipotentis dedit mihi vitam, inspirando animam.

(**) Fugiendam censui inhumanam versionem *J. E. Schuberti*, vertentis *in Theol. Dogmat. p. 3. §. 16. & factus est* ANIMAL *vivum*; quum indubium sit נֶפֶשׁ frequentissime denotare *personam.* e. c. Gen. 12. 51. sumsit Abraham הַנֶּפֶשׁ אֲשֶׁר עָשׂוּ PERSONAS, quas *genuerant Harane.* Gen. 46. 15. כל־נפש בניו ובנותיו שלשם ושלשׁ *Omnes* PERSONAE, connumerato nempe ipso Jacobo, v. 8; *filii & filiae Leae erant triginta tres.* LXX πᾶσαι αἱ ψυχαὶ e. c. Deut. 10. 22. בשבעים נפש ירדו אבותיך מצרמה ubi LXX ἐν ἑβδομήκοντα ψυχαῖς κατέβησαν οἱ πατέρες σου εἰς Αἴγυπτον, & Act. 7. 14. Stephanus inquit: Ἰωσὴφ μετεκαλέσατο πᾶσαν συγγένειαν αὐτοῦ ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε. *Vocavit Josephus omnem familiam Jacobi Aegyptum, quae constabat 75* PERSONIS; (Excepto nempe Jacobo & Josepho ipso; connumeratis his, 77.) Ezech. 18. 4. הנפש החטאה היא תמות

§. 50.

Quod per Spiraculum vitae re vera anima creata indicetur.

Maximi momenti est propositio Gen. 2. 7. וּיִפַּח בְּאַפָּיו נִשְׁמַת חַיִּים *Inspiravit in nares ejus* SPIRACVLVM VITAE, & confirmari meretur, quod ea de ANIMA Adami intelligenda sit. Dicam, quod res est, & largior largienda. Dentur autem mihi vicissim, per sanae Hermeneuticae regulas, danda. Phrasis illa *spiraculum in naribus* indicare potest & solet HALITVM aëreum seu respirationem vitalem. Job. 27. 3. C. 34. 14. ut itaque sensus proximus verborum Gen. 2. 7. sit: & fecit Deus, insufflando, ut Adami corpus per *nares* RESPIRARE *inciperet & pergeret*, adeoque persona viva esse coeperit. Sed eadem phrasis, *spiraculum in naribus*, numquam in scriptura sacra de alio *halitu* tracto adhibetur, quam eo, qui ANIMAE *cuidam praesenti coexsistit*, immo per animam hanc actuatur, tanquam per principium intrinsecum motuum & operationum proximum. E. c. Gen. 7. 21. dicitur de animatis irrationalibus & rationalibus, ea universa in diluvio interiisse, hoc modo: כל אשר נשמת־רוח חיים באפו מכל אֲשֶׁר בֶּחָרָבוֹת מֵתוּ Extra arcam, *omne cui erat spiraculum flatus vitae in naso ejus, ex omni, quod in aridis degens, moriebantur.* Sermo est de pecude, cui est anima quaedam, de homine, cui est anima rationalis. Es. 42. 5: Sic dicit Dominus expandens terram, *& dans proventum ejus, dans* נְשָׁמָה *spiraculum populo super illa, & spiritum ambulantibus in ea.* Quapropter

I 3

Illa PERSONA, *quae peccat, haec*, nec alia, *interficietur.* Exod. 1. 5. Et erant כָּל־נֶפֶשׁ *omnes personae egressae ex lumbis* Jacobi 70. נפש *personae.* Exod. 16. 16. Act. 27. 37. ἦμεν ἐν τῷ πλοίῳ αἱ πᾶσαι ψυχαὶ διακόσιαι ἑβδομήκοντα ἕξ. *eramus in navigio* 276 *animae* i. e. personae. 1 Pet. 3. 20. In arca Noae servabantur ὀκτω ψυχαὶ, 8 *personae.* 2 Pet. 2. 8.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0073
DFG

propter sensus completus theseos Gen. 2. 7. est: 1) CREAVIT *Deus principium actionum vitalium*, ANIMAM INTRA HOMINIS CORpus, eamque cum ipso connexit: & 2) *per eam fecit, ut homo animaret, atque per nares halitus reciprocos continuo duceret.*

Objicis: Si haec mens esset dicti, cur Moses historicus verbis non magis planis rem enunciavit? cur non diserte scripsit & *creavit animam*? Resp. Quia historicum egit, non physicum; & quia Deo placuit, ut SENSVALIVM & externarum tantum rerum origo nobis per Mosen referretur (supra p. 4.) Creationem animae humanae igitur sensuali hac repraesentatione (ab *effectu*, respiratione, desumta) declarat. Et sic, *effectus* commemoratione docuisse, est significantissime docuisse. Nam effectus testatur de caussa, eamque praestructam habet. Sicut teste Jacobo II. 26. ὥσπερ τὸ σῶμα χωρὶς πνεύματος νεκρόν ἐστιν *sicut corpus humanum sine respiratione* mortuum esse & *anima destitui cognoscitur* seu, quod idem est, sicuti absentia Respirationis criterium absentiae animae esse solet, sublatique commercii ejus cum corpore: sic praesentia Respirationis Adamiticae criterium factae creationis & praesentiae animae Adami fuit.

Accedit, quod Pandectae sacrae aliis locis *creationem animae primae* liquido testificentur, e. g. Zach. 12. 1. מַשָּׂא דְבַר־ יְהוָה עַל ישראל נְאֻם־ יְהוָה נֹטֶה שָׁמַיִם וְיֹסֵד אֶרֶץ וְיֹצֵר רוּחַ אָדָם בְּקִרְבּוֹ *Prolatio*, expositio *specialioris revelationis Jehovae ad Israelem: Edicit Jehova, extendens coelos & fundator terrae, &* PRODVCTOR SPIRITVS HOMINIS *in medio ejus*, (in capite Adami *medio*, ubi desinunt vasa arteriosa, & incipiunt nervosa, in Medulla Oblongata. Heic enim sedes animae verosimillime) Et قد كفى بالله شهيدا وما اصدق الاه قايلا * *Adductus in testem Deus, quo nemo veracior est, sufficit.* Nonne Moses eum appellat Patrem seu auctorem *Spirituum* omnis carnis, humanae? Ecquomodo Paulus

lus 1 Cor. 15. 45. verba ad Gen. 2. 7. respicientia, ἐγένετο ὁ πρῶτος ἄνθρωπος Ἀδαμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν accepit? Factus est primus homo, Adamus in personam *viventem* (§. 46.)

§. 51.

Hevae creatio.

Eodem die sexto, excellens sanctumque Dei opus, *Femina*, modo captum humanum superante orta est. Hac κτίσει Deus operibus suis visibilibus colophonem praeclarum imposuit.

1) *Materia* corporis feminini

Qua CORPVS Hevae refert Moses duo, tum ejus *Materiam* mirabilem, tum ejus *Effectionem*. Nec e pulvisculis terrae, ut Adam, formata est mulier, nec e muliere nata, sed decerpta ex viro, ejusque e medullis quasi extracta. *Materia* corporis ipsius fuit perexigua. Qui ex nihilo maxima, (coelum & terram) creavit, idem hac vice ex re minuta hominem justae magnitudinis praestare voluit potuitque. Particula ipsius HOMINIS, placide calida, carneo-sanguineo-ossea, ac cerebrina, fuit primum stamen & materia feminae; Nimirum צֵלַע COSTA *jam conditi viventisque Adami*, *nunc autem aliquantisper*, *praeter* naturam soporati, somno, qui sensus ligabat, ecstatico. Profundus hic somnus ex paterna, quae filiis parcit, caritate viro, (ut Abrahamo Gen. 15. 12.) immissus erat, non solum ut absque doloris sensu costa ipsi subtraheretur, sed etiam, ut ne offenderetur curioso sed inamoeno aperti vulneris cruorisque spectaculo. Sed redeamus ad צֵלַע. Notat haec vox feminini generis, utique *costam*. (a) Atqui intelligi potest costa vel stricte dicta sine appendice, seu exclusiva, vel complexiva. §. 52.

est

costa

viro leniter detracta.

a) צלעה & צֵלַע, voce a figura sua denominata, *Arabice* ضلع, *Chaldaice* צ in ע mutato, עלעא, & *Syriace* in Elif ܐ notatur

notatur 1) generatim INCVRVATVM; a radice צלע *inclinavit* se, *claudicavit* Gen. 32. 31. Mich. 4. 6. 7. Zeph. 3. 19. Arabicum quoque verbum ظلع *Zalaa* designat *propendit*, inclinavit.

2) *Costa*, quia costae inclinatae & subcurvae sunt. Singulae certe *hominis* costae figura arcum referunt, vel imperfecti circuli segmentum; superiores majus, inferiores minus,

3) *Simile costae*, vel costis simul sumtis, atque regioni, quae costarum sepimento manitissima est. Hinc צלע est quoque *trabs substructionis*, *asseres* 1 Reg. 6. 15. *valvae* inclinabiles, defensivae, 1 Reg. 6. 34. 15. 16. *latus* domus Exod. 25. 27. 35. Si consulendae in locis ambiguis versiones orientales, Arabica versio h. l. Gen. 2. 21. vocem *costam* adhibuit. فاوقع لله سنانا علي ادم لبلا يحس فنام * فاسنل احدي اضلاعه وسد مكانها بلحم * وبني لله الضلع *Itaque immisit Deus somnum in Adamum*, NE SENTIRET. Et extraxit VNAM COSTARVM *& obturavit locum in carne. Et fabricavit Deus costam istam.* Aethiopica versio, utut non reddiderit per *costam*, tamen vocibus nihil aliud, quam COSTAM, designantibus usa est. Vertit enim: *Et misit Deus soporem super Adamum & dormivit: Et sumsit* DE OSSE *lateris ejus, & implevit carne locum ejus.* Thomam Cajetanum, qui totam de *costa* narrationem pro allegoria habuit, non moror.

Fuerunt autem, qui h. l. vocem צֵלָע converterunt *lumbum clunarem.* Vid. *Joh. Jac.* SCHEVCHZERI *Physica sacra* Tomo I. (August Vindel. 1731. fol.) pag. 12; Quasi femina ex una carnosarum pulparum formata sit. Enim vero eos confudisse, reor, צלע & חֲלַץ Partes corporis sub extremum ossis sacri, seu διάζωμα, ubi nullae costae, appellari non possunt צלע, nec vocantur. Ut taceam hanc originem ἀτιμοτέραν, fini Dei contrariaturam, ipso ordine creationis nos admonituri, ut simus ἀπονέμοντες τιμὴν 1 Pet. 3. 7. Nec minus a vero deflectunt nostratium longe plurimi (inter quos est ipse laudatus *T. C. Lilienthal*

thal l. c. *Tom. 9.* p. 8. 9.) qui צלע h. l. transferunt per *latus*. Aperte iis contradicit, & jubilando vera teſtatus, ipſe Adamus Gen. 2. 22: *Hac vice tandem eſt os ex oſſibus meis*, (duodenis coſtis, vertebrisque ſpinalibus) *& caro ex carne mea!* Quis eſt, qui non videat, his in verbis claram haberi *coſtae* periphraſin? Si integrum Adami latus ab alis usque ad coxam fuiſſet adhibitum, is dicturus fuiſſet: hac vice, en! OSSA *ex oſſibus meis.* ubi *gratulatio Adami definit.*

Inſtant: LXX vertiſſe: ἔλαβε μίαν τῶν πλευρῶν, *ſumſit unum e lateribus.* Repono: Id ipſum pro me militat. Πλευρὸν eſt *latus*, πλευρὰ *coſta. Julius Pollux lib. 2. Onomaſt.* c. 4. τὰ μὲν ὑπὸ μασχάνην, πλευρὰ ὀνομάζεται, τὰ δὲ ὀϛᾶ πλευράι. „*Quae ſub axillis ſunt*, πλευρὸν *latus ſunt; oſſea vero ſeu coſtae* πλευράι Deſignat igitur πλευρὰ h. l. coſtam, ut Dioſcoridi lib. 1. c. 7. 8: πλευραὶ ἑκατέρωθεν ὄκτω COSTAE *utrinque ſunt octonae*, & *Ariſtoteli* lib. 2. de *Part. Animal.* Hinc εὐπλευρος *eſt bene coſtatus.*

Arabs & Syrus, ad exprimendam notionem *lateris* Joh. 19. 34. non utuntur voce צלע, ſed ille voce جنب *Gjambaho*, hic vero voce *Daphno* vel *Setro*: ܐܠܐ ܚܕ ܡܢ ܐܟܣܪܛܝܘܬܐ ܟܕ ܦܬܚ ܒܪܡܚܗ ܕܝܘܣ ܒܪܡܚܗ *Sed unus ex militibus pupugit* LATVS *ejus lancea*; & Joh. 20. 20. ܗܠܝܢ ܐܡܪ ܘܚܘܐ ܠܗܘܢ ܐܝܕܘܗܝ ܘܠܛܝܪܗ *Hoc dixerat; & oſtendit illis manus ſuas, &* LATVS *ſuum.*

§. 52.

Recogitans, Deum Adamo voluiſſe donare ſociam, Gen. 2. 18. כנגדו *juxta correſpondentiam ejus*, ut eſſet *quaſi praeſentia* ejus, ex *adverſo ipſi reſpondens*, hoc eſt, ipſi SIMILLIMA, ſpecie non ſolum, ſed etiam indole; Perpendens praeterea, Deum *arctiori cognationis* affectu homines devincire voluiſſe Eph. 5. 28. 29; itemque ſexui alteri ϛοργὴν ad alterum ingenerare, arbi- Medullae virilis portiuncula.

arbitror, istam costam (§. 51.) *complexive* intelligendam esse. Videlicet, Deum, ad penitiorem utriusque sexus consensionem, ex Adamo sumsisse costam *unacum annexa ei particula* SPINAE DORSI, (a) seu costam, quatenus unam duodecim vertebrarum ejus connexam sibi habebat, hinc cum portiuncula cerebelli Adamitici: Adeo ut Evae corpus esset principiatum ex Adamo, principio, ratione non dumtaxat carnis & ossium, sed etiam respectu medullae spinalis, a sanguine secretae, & fluidi nervei, quod dehinc ad nervos & musculos demittitur, seu, ut dixi, CEREBELLI. Nimirum med. spinalis est quasi cerebrum oblongatum, & per occipitii foramen egreditur ac in totam vertebrarum seriem usque ad locum coccygis progreditur, cum itinere semper decrescens. Longe nobilior est quam ossium medulla. Sic igitur sapientissimus Deus ἐποιησε ἐξ ΕΝΟΣ ἄιματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων *creavit* EX VNIVS *sanguine universum genus humanum; ut habitaret in omni superficie terrae.* Act. 17. 26. Sic *omnimode* verum de corpore Hevae γυνὴ ἐξ ἀνδρὸς ἐστι 1 Cor. 11. 8. Vocatur uxor נְקֵבָה *excisa* e viro Gen. 1. 27.

§. 53.

τὸ πλησίον Adami,

Ulteriori conjecturae si licet indulgere, descendero in eam sententiam, quod QVINTA *costa virilis, in confinio cordis posita, quae* חֲמֵשׁ *pars quinta* (b) appellatur, fuerit materia corporis consortis Adami

(a) Quà rem ipsam ὁμόψηφον habeo celeberr. Professorem Medicinae Halensem, & consiliar. intim. *Fridericum Hofmannum*, in den *Hallischen Anzeigen* a. 1742. num. 9. pag. 137: *Der Stof des Weibes ist vornemlich ein Bein aus dem Rückgrad gewesen, weil durch den Rückgrad ein Mark gehet, welches eine Fortsetzung des Gehirns ist, durch welches die sogenanten Lebensgeister sich in den ganzen Leib verbreiten.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0078
DFG

Adami diligendae ſummoque in pretio habendae. Arabice vox ع ظ ل *Zalu* notat *intima pectoris penetralia.* Quod πλευραὶ (τῶν LXX pag. 73.) notet quoque coſtas in latere *ſuperiori*, thoraci parallelas, vid. in *Thom.* BARTHOLINI *diſſ. de latere Chriſti aperto* (Lugd. Batav. 1646. 8.) p. 8. Eſt autem quinta coſta inter iſtas, quae duobus proceſſibus donatae ſunt, quorum alter mediante cartilagine ſinui ipſius vertebrae inarticulatur, alter cum illius proceſſu transverſo connectitur. conf. *Philipp* VERHEYEN *Anatomia* (Bruxellis 1726. 4. edit. 3.) *pag. 315.* Hocce coſtae delectu Deus, certum ἀξίωμα feminae inſeruit, & viro notum fecit. *ex Adamo medio.*

§. 54.

Exſtructio feminae ita deſcribitur (§. 55.), ut conſtet, nihil terrae, vel alius maſſae admixtum iſti coſtae fuiſſe. Aſt nihilominus omnipotentem ex tantilla firma fluidaque materia, per ſe neutiquam ſufficiente, fabricaſſe perſonam, quae mole & pondere quantitatem materiae ſuperabat. Ex imperio voluntatis divinae accrevit igitur coſta illa ſanguinea, cum appendice medullari, admirandis augmentis; Perinde ac minuti quinque panes in manibus volentis Chriſti accrevere fruſtis indidem novis, itemque piſciculi duo, Joh. 6. 9. 11. ut quinque millia hominum iis ſaturari poſſent. Ex coſta igitur enatum eſt corpus ſextuplo longius & centuplo gravius majusque iſta. Ex uno coſtae oſſe enata oſſa illa 232 (c) ex quibus homo conſtat. 2) Exaedificatio feminae, ex aliquo & ex nihilo. per verbum imperiale.

(b) Lutherus hanc vocem quidem vertit, Wanſt. e.g. 2 Sam. 3. 27. *Abner führte Joab, daß er heimlich mit ihm redete, und ſtach ihm daſelbſt* אֶל־חֹמֶשׁ *in den Wanſt, daß er ſtarb, hoc eſt unter die* FÜNFTE RIBBE, ob παραλληλιαν cordis lethale vulnus ipſi inflixit. Declarat S. S. hac voce, ſub quanam coſta eor ſitum ſit?

(c) Nimirum. In capite 54. In trunco 56. In artubus 122. ex-

stat. Parum sanguinis uni costae inest. Sed, ut esse solent 70. librae sanguinis in adulto homine, illam liquidi paucitatem in hoc plethorae flumen uno ictu conversam esse, quis non miretur? Itaque creatio feminae, etsi facta est e costa virili, simul tamen esse creatio ex nullo censenda est.

Paraphrasis Gen. 2. 21. 22.

§. 55.

Audienda sunt hac de re Mosis θεοπνεύστου verba, (ab ipso

---

stant. Meditatio haud indigna homine! reputante cum Jobo C. 10. 11. וּבְעֲצָמוֹת וְגִידִים תְּשֻׂכְּכֵנִי OSSIBVS & *nervis circumdedisti me!* seu (ut ﻙﻠﻜﻨﻲ *obsepivit*) *munivisti me.* Nimirum CAPVT hominis aduiti dividitur in cranium & faciem. *Cranii* theca constat 8. ossibus. *Facies* 29, (nempe qua maxillam superiorem, quae habet utrinque 13. summatim 26, qua inferiorem 1.) *Auditus* organa componunt quinque ossa in utroque latere, adeoque 10. TRVNCI ossa haec sunt. 1) VERTEBRAE 24. (Scilicet vertebrae Colli sunt 7. ossa; *Dorsi* 12. *Lumborum* 5.) 2) COSTAE numerantur 12. in unoquoque latere (nempe 7. verae, 5. spuriae) 3) STERNVM *duabus* componitur partibus (nempe *superiori* parte triangulari, & mediâ) & *appendice*, cartilagine ensiformi. 4) PELVIS. Hanc componunt a) *os sacrum.* b) *os coccygis.* c) *ossu innominata.* Haec rursus sic dividuntur: aa) os ilium, bb) os ischii. cc) os pubis, quod tuberculo ossis pubis insidet. ARTVS dispescuntur in extremitates superiores & inferiores. Superiores constituunt 1. *clavicula*, 2. *scapula*, 3. *os humeri.* 4. *ulna & radius.* 5. *metacarpi* octo ossa. 6. *carpi* ossa quinque (errare enim existimatur b. Heisterus, 4. tantum numerans) 7. *Phalanges digitorum* 14. ossibus constant (nempe quivis digitus longior 3, pollex 2 utrinque; h. e. 28. Extremitates inferiores componunt. a) os femoris, b) patella, c) tibia & fibula. & metatarsi 7 ossa. e) tarsi quinque ossa. Phalanges digitorum pedum tot ossibus consistunt, ut digiti manuum. *Pondus ossium horum in adulto esse solet 45 librae. Firma ad fluida ut 1. ad 4.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0080
DFG

ipso quoque Adamo θεοδιδάκτῳ fortassis consignata) Gen. 2. 21. 22. ויקח אחת מצלעתיו ויסגר בשר תחתנה ויבן יהוה אלהים את הצלע אשר לקח מן האדם לאישה ET SVMSIT VNAM E (*duodenis*) COSTIS EIVS (*Adami, ferreo somno consopiti*) *citra cruciatus ejus.* *Hoc facto*, *properavit*, ut ante *omnia*, (*durante Caro illo*, ἀκαρῆσαι *dicto*,) *costa detracta repararetur*, *cujus jactura Adamus tristitia affici potuisset.* ET CLAVSIT CARNE, h. e. *costa alia nondum prorsus ossificata* (ut mutatio ab Adamo sentiri distinctiusque notari posset, quaenam nova esset costa, & loco prioris surrogata!) *sed molli*, *flexili & cartilaginea* (quales esse solent costae in junioribus) (a) *ac praeterea tegumento carneo vestita*, VACVVM EIVS *costae*; seu pro ea substituit aliam, ut hiatus consolidaretur. Postquam autem interstitium supplevérat, AEDIFICAVIT (b) JEHOVAH h. e. *Essentialissimus*, ELOHIM, *unaquaeque trium personarum summopere venerandarum*, ILLAM

del costa demta, restaurata, sed in corpus humanum completum femininum transmutata.

(a) Sed de homine vel 43. annorum, cujus costae deprehensae sunt emollitae, instar tenuis chartae pappariae, aemulae carnis (ῥῶας vocant) conf. *Adversaria Medico-Practica*, *Volum. II. Part. III.* Lipsiae 1772. Hebraeis *cartilago* vocatur בָּשָׂר *caro.*

(b) Vox nova בָּנָה *exaedificavit*, qua Moses utitur, tria infert: *successionem*, *elegantiam*, & *scopum* indicat. Sensus est 1) Et SVCCESSIVIS *incrementis* accrescere Deus jussit partes corporis, e. g. *Caput*, ex 54 ossibus compositum, *Truncum*, constantem 56. ossibus, *Artus*, complectentes 122. ossa. 2) Deus, architectus sollertissimus, formavit feminam *examussim*, venuste κατ' εὐρυθμίαν, hanc coronidem operum suorum visibilium *concinnavit*, symmetrici instar aedificii, spectabilisque. Conf. *Ernesti Aug.* NICOLAI *von der Schönheit des menschlichen Cörpers.* (1746. 8.) 3) Fecit hoc corpus, *ut esset domus & habitaculum animae* permeantis, ab illo diversae, 2 Cor. 5. 1, Matth. 10. 28. nascendorumque.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825845246/phys_0081
DFG

LAM *ipsam praecise costam, nullo minuto pulvere terrestri superaddito*, p. 67. §. 51. nullo adjecto sulphure, sale volatili, fixoque, nullo phlegmate, QVAM DESVMSERAT EX ADAMO IN MVLIEREM, *seu ut femina inde exsurgeret.*

De Anima feminae.

§. 56.

De ANIMAE Evae creatione silet Moses, pariter ac de corporis feminini vivificatione. Nec exclamavit Adamus, *haec est anima, ex anima mea traducta!* Illud silentium hoc sibi vult, ut cogitandum nobis sit, illam Evam, sanctitatis imaginisque divinae participem Gen. 1. 26. C. 5. 1. 12. 1 Pet. 1. 7. *eodem modo esse vivam redditam, quo Adami corpus*, sensus motus & orationis expers, *vivificatum est.* §. 49. 50. Inhalatam ipsi divinitus esse, ex nihilo creatam, animam rationalem, simul atque corpus per rectam constitutionem firmarum & fluidarum partium, hujus hospitis capax evaserat, & cum anima illa simul vitam animalem. Repetendum igitur esse illud וַיִּפַּח נִשְׁמַת בְּאַפָיו (§. 49.) quod JOSEPHVS reddidit *Antiquit. Jud.* lib. 1. *καὶ πνεῦμα ἐνῆκεν αὐτῷ καὶ ψυχὴν immisit in eum spiritum & animam.* Quo facto Aerem quoque, consueto suo pondere 80. librarum, quo cellulis pulmonalibus hominis adulti quovis momento immigrat, naribus Evae immigrasse, seu Evam statim spiritum duxisse. §. 50.

§. 57.

Duae igitur animae humanae, ut duo corpora humana, die sexto ad exsistentiam emerserunt. Sapienti consilio Deus non simul genus humanum produxit, ut factum in exercitibus angelicis, die sexto, post homines binos, creatis. p. 64. (Diss. cit. p.) Benedictionis autem divinae Gen. 1. 28: *Foecundi* sitis, in eo estote statu, ut possint generationes succes-

ſucceſſivae fueri, MVLTIPLICATE VOS, ſtupenda vis hoc ſtabilivit, ut generantes homines totam eſſentiam ſuam §. 46. propagare valeant. Qua de re legi meretur b. *Joh. And.* PLANERI, Prof. Mathem. *nova de animae humanae propagatione ſententia.* (Witeb. 1712. 4.) pag. 41--71.

§. 58.

Methodus Moſis, *inculpabilis.*

Narratio Moſis de creatis hominibus apprime congruit legibus PERSPICVORVM ſcriptorum hiſtoricorum. Ii primo quidem ſummatim res geſtas integras exponere ſolent, ne clauſula in longum differatur; data autem hac nervoſa ſynopſi, quaedam illius fili momenta prolixius illuſtrare ſolliciti ſunt. Eodem conſilio Moſes bis de creatione hominis verba fecit. *Prima vice* Gen. I. ſeptem verſibus; v. 24--31. *Altera vice* Gen. II. Haec ſecunda commemoratio mente interponenda eſt Gen. I. verſui 27 & 28. Jam tota ſeries Anthropologiae Moſaicae in accuratiori Tabella adumbranda. Sed parcendum pagellis, & vel ſic propoſitae rei ſatisfactum videtur.

*** *** ***

Deveniat igitur ad ſcopum oratio; ad illud publice ſignificandum, cujus rite cum promulſide, & ſollemniter indicandi gratia hanc antegreſſam, de *Sextiduo genetico* ſaturam perſcripſi.

Virtuti utiliorum in vinea Domini inſtrumentorum amicior, Facultas almae hujus Theologica hoc tribuendum exiſtimavit egregiae eruditioni Theologicae, non uno ſpecimine demonſtratae, orthodoxiae probatae, cum vitae ſanctimonia conjunctiſſimae, ſtudio commoda Eccleſiae provehendi erectiori, eximiisque de re ſacra meritis Viri maxime reverendi MATTHIAE FRIESIO, ut lauream Ipſi Doctoralem ſummosque in Theologia Honores decerneret.

Satis

Satis ille quidem hisce in regionibus notus est. Perspicax in philosophando, praecipue versatus in scientia veritatum, quarum manifestatione benignitas Dei hominibus consuluit, tenax, ut decet, verbi veritatis, incorrupto Evangelio oves suas pascens, ordinis in proponendis scitis revelatis studiosissimus; laude floret integritatis, & ingenuae pietatis, quae vivae cognitionis theologicae pedissequa est, laude lenitatis ac moderationis, gravitate conditae, fama enixae in administranda provincia sacra fidei; bonis probatus omnibus, amatusque. Dabimus tamen, quia juvat laudatorum virorum vitae rationes nosse, viri aestumatissimi hoc vitae curriculum:

MATTHIAS FRIESIVS, Præpositus Consistorii Flensburgensis, & Ecclesiastes Templi Mariani Cathedralis, quod est Flensburgi, primarius, in lucem editus est, anno reparatæ salutis MDCCXXI. Calend. XI. Aprilis, in prædio Bothschlot Parochiæ Fahretofft, Præfecturæ *Tonderensis*, in Ducatu sito *Sclesvicensi*. Patre usus MATTHIA FRIESIO, Icto, ex stirpe non obscura, Matreque HANNA ex Prosapia HOMMERS, in Strandia Septentrionali exortâ.

Parentibus, dum in vivis erant, omnem ipsi pietatem, aliasque, quibus Deus colitur, virtutes instillandi operam navantibus, a tenera pueritia orbatus, a Patruo suo Jacob Friesio, Diacono ædis Niebüllensis, educatus, primisque litterarum imbutus est elementis.

Quo & defuncto, ætatis annum vix decimum quartum ingressus, curis Cognati & Susceptoris sui, Viri summe Summe

me Reverendi Arends, Præpositi quondam Consistorii Tonderensis, in Schola publica, quæ Tonderæ floret latina, tum temporis Rectori clarissimo, doctissimoque Overbeckio, ad ingenium colendum, moresque exornandos, commissus est, qui ipsum in Religionis Christianæ fundamentis, ingenuisque artibus, summa cum laude instruxit.

Per sex annorum spatium ibi commoratus, convenientesque loco & tempori exercitationes satis expertus, dehinc Anno MDCCXL. in orphanotropheum, quod Halæ Saxonum viget, dimissus est, in quo, velut officina quadam instructissima, tunc temporis excelluerunt Præceptores, in erudienda juventute, dexterrimi, quorum vigilanti & fidelissima institutione, per unius anni spatium, in linguarum artiumque studiis tantos fecit progressus, ut suasu horum Præceptorum, atque in primis Summe venerandi Doctoris KNAPPII, Con-Directoris orphanotrophéi Halensis, in pace ex illo publice dimissus, Anno MDCCXLI. in almam Fridericianam, Magnifico tunc temporis Pro-Rectore, Perillustri Libero Barone summique nominis Philosopho, CHRISTIANO WOLFIO celeberrimo, civium in numerum receptus sit, Albo academico insertus.

Hac in Salana, omnibus *Philosophiæ* disciplinis, Theologiæ cultori scitu necessariis, operam studiumque navarunt MEIERVS pariter atque STIEBRITIVS. In imbibendis, *Linguis* sacris ipsum adjuverunt uterque, MI-

CHAELIS, Parens & Filius, quorum posterior, eo tempore, Legens existit Magister, jam dudum autem Göttingensium Professor celebris; non prætermisso celeberrimo KNAPPIO, in lingua Eberina libros Hagiographos cursim explicante.

Jactis itaque philosophiæ ac philologiæ fundamentis, ad studium *theologicum*, proprie sic dictum, studiosæ mentis attentione se adplicuit: in cujus toto, ut ajunt, ambitu, Viro summe venerando, Doctore SIGMVND JACOB BAVMGARTEN, post fata etiam carissimo, usus est Præceptore: Scilicet in Theologiâ *dogmaticâ, morali, exegeticâ, hermeneuticâ, polemicâ & symbolicâ.* Doctoris KNAPPII *Historiam ecclesiasticam* tam *veteris* quam *novi* foederis audivit; non omissis præceptis *homileticis:* Exercitationibus sacris Doctoris celeberrimi CLAVSWITZ privatis, in *exponendis Sacræ Scripturæ locis,* ab ipso festis diebus institutis interfuit; in domicilium ejus receptus, quo *in oratoria sacra* exercenda, ecclesiæ simul ministerio idoneum se præpararet Candidatum.

Hæc fere sunt omnia, in quibus Halæ, cum commoraretur, operam suam collocavit, per duorum videlicet annorum, cum semestri, spatium:

Quo elapso Jenam, celebre illud humanarum artium, divinarumque scientiarum domicilium petiit, per aliquod temporis intervallum subsellia Doctoris REVSCHII, Profesſo-

fessorisque Dariesii premens, quorum prior *theologiam naturalem*, posterior autem *jus naturæ* propinavit, donec ad lares patrios Anno MDCCXLV. reversus est.

In Patriam reduci, prævio tentamine, cathedram sacram conscendendi facultas ipsi data est, ex qua orationibus ad populum habitis assiduum se gessit, prætereaque juventuti sibi commissæ in litterarum, quas vocant humaniores, studiis omnem movit lapidem.

Anno MDCCL. Hafniam profectus est, ab ecclesiaste, Aulæ Regis Serenissimi & Potentissimi Scandinaviæ, primario, ad instruendos litterarum studiis suos nepotes electus, quo officio integros aliquos per annos defunctus est, donec in Consistorio Academiæ Hafnienſis, Regio Edicto obtemperans, examinatus, a Clementissimo suo Monarcha, minister verbi divini ad ecclesiam, quæ est Schottburgi, in Præfectura Hatterslebiensi Anno MDCCLVI. immediato nutu est vocatus.

Cui muneri sacro ne per annum quidem præfuit completum, dum, sparta non quæsita, sed oblata, Anno MDCCLVII. ab ampliſſimo Flensburgensium Senatu, ad ædem Spiritus S., proponendi in lingua Danica verbi divini gratia, invitatus, unanimique deinde suffragio creatus est.

Hac provincia iterum anni non plene elapsi MDCCLIIX. spatio usus, antistes templi Mariani cathedralis processit:

quod munus, annuente Dei gratiâ, adhuc tuetur, Anno MDCCLXVIII. Tractui Flensburgensi, nec non regioni Bredstadiensium, a Sereniſſima & Potentiſſima Danica Majeſtate gratioſiſſime præpoſitus, haud immemor effati Nazianzeni: "non præter ordinem ſed per gradus vicesque de-"ductus" aſcendit.

Speciminis loco, alios atque alios nobis obtulit, quos in lucem emiſerat publicam, diligentioris elaborationis fructus, vir praeſtantiſſimus:

1) Kern- und Hand-Poſtille in vollſtändigen Grund-Riſſen der ſonn- und feſttäglichen Haupt-Predigten. Flensburg 1765. 8. plagulis 46.

Incluſa ſunt huic libro *evangelico* graviſſimi Dogmatici articuli, iique perſpicue expoſiti, pro inſigni viri dicendi copia, & ſolide DICTIS BIBLICIS, perite exquiſitis, ut decet, probati, utiliterque ad πρᾶξιν deducti.

2) Der Dänen Klage und Fürbitte. Flensburg 1765. 4. plagulis 16.

Prima oratio ſacra habita anno 1765. in funeralibus Regis Daniae Friderici V. piae memoriae, cum Jacobo Patriarcha heic comparati, explicat & applicat oraculi Gen. 48. 21. verba triſtia: *Ecce morior;* ac laeta: *Sed Deus vobiscum erit.* Homilia ſecunda, ſub initium regiminis Regis Chriſtiani VII. a. 1766. habita, die Supplicationum Singulari, pie & laudabiliter indicto ad benedictionem divinam novo illi Regimini expetendam, tractat locum Pſ. 127, 1.

3) Hiſto-

3) Historisch-Theologische Abhandlung von den Altären, in unserer Evangelisch-Lutherischen Kirche. Flensburg 1772. 4. plagulis 10.

Multum industriae positum in hac Thysiasteriologia ad communem usum transferenda. Agitur primum de altaribus V. T. tum holocaustico tum thymiamatis, itemque de mensis veterum Christianorum sacris, atque, post tempora Constantini M., altaribus. Deinde piae cogitationes, quas hodierna in templis nostris altaria excitare in intuentibus debeant, dinumerantur & vindicantur.

Sed loco inauguralis speciminis Facultati nostrae Theologicae, pro capessendis summis in Theologia honoribus, duas in MSS. exhibuit dissertationes, nunc quoque Kilonii typis editas, plagulis 15, & huic ipsi Programmati, istis comitibus distribuendo, subjunctas. ALTERA, *Dogmatica*, agit *de anima humana post mortem corporis sui* VIGILE. ALTERA, *Polemica, sistit Hypnopsychitam vapulantem.*

Petiit igitur Facultas consensum in Promotionem illam Doctoralem gratiosissimum observantissimis submississimisque precibus ab *Augusto Caesareae Celsitudinis & Serenissimo Principe ac Domino* PAVLO, quem votorum omnium arbiter, Deus, longaevum, salvum, omnique felicitatis genere beatum praestet! *Imperatoriae Coronae Herede, in Throno Successore, Ruthenorum omnium Magno Duce, itemque Herede Norwagiae, Supremo Duce Slesvici, Duce Holsatiae, Stormariae & Dithmarsiae, Comite Oldenburgi & Delmenhorsti, reliqua, Hero & Nutritore nostro longe clementissimo, Academiae Hujus Suae Rectore & Cancellario Magnificentissimo.* Annuit summus clementiaeque, fastigium Ipsius aequantis, Princeps decentissimae petitioni, clemenrissimoque Rescripto Facultas-

cultati Theologicae reddito, me ejus h. t. Decanum auctoritate exornavit, commendato viro in Abſentia adeoque absque Examine ſummos in Theologia Honores impertiendi.

Quapropter, obtenta hac poteſtate, reliquisque, competente apud nos ordine praeſtandis, rite praeſtitis, dictus eſt a Facultate noſtra dies III Aprilis, quo auſpiciis iſtis magnificentiſſimis *Viro Maxime Reverendo atque Doctiſſimo*, MATTHIAE FRIESIO, *Toudera-Slesvicenſi, Regiae Majeſtatis Danicae Dioeceſeos Flensburgenſis & in Conſiſtorio Flensburgenſi Praepoſito Eccleſiaſtico, ibidemque Flensburgi ad Templum B. Mariae Virginis Paſtori primario* meritiſſimo, Abſenti tamquam Praeſenti, in hac Magno-Ducali Academia Doctoris Theologi Gradus, Honores ac Privilegia, Facultatis nomine, conferentur a me, ejus h. t. Decano, & Brabeute, ad hunc Actum rite conſtituto.

Favebunt, nullus dubito, condecorationi pereximii viri, quicumque litteris ſacris favent, atque Eccleſiae emolumentum optant. Namque bene cupient certare omni virium contentione pro cauſſa Dei parato; Quippe probe gnaro, eos, qui ſacro *Doctorum Theologiae* Ordini adſcribuntur, hoc ipſo, novo obligationis vinculo adſtringi ad gnaviter urgendam verbi divini elucidationem ejusdemque accuratiorem orthotomiam excolendam, ad dignitatem Religionis Revelatae commendandam, ad puriorem doctrinam ſine praepoſtero metu ſolide defendendam, ad contemtorum voculas & afflictiones, quae cum ſtrenua pretioſiſſimi Depoſiti cuſtodia, hoc in primis tempore, conjunctae eſſe ſolent, ſufferendas; & calcar addi ad conandum exſtantiora quaevis, quibus curſus Evangelii promoveatur, largienteque *Spiritu Sancto* fiat, ut hominum intellectus verbum veritatis, penitius cognitum, magni

gnifaciat, voluntas autem cum omni εὐδοκίᾳ amplexetur. Exopto NOSTRO, propediem insigniendo, usuram felicitatis perpetuam, vitam ad longiorem aetatis terminum productam, vires corporis, optimae voluntati & eruditioni ipsius respondentes, largorum, quibus divino munere instructus est, charismatum incrementa, gratiae Spiritus Sancti, quo sine nihil sumus, nihil efficimus, efficacissimum praesidium, laborum, quibus servando sanae doctrinae typo adesse sategit, felices successus, meletematum, quibus veritati, tot contradictionibus infestatae, succurret, pondus, in sparta item sacra, quam Flensburgi ornat, limpidum Evangelium suaviter aeque ac solide proponens, benedictiones laetissimas!

Minime est quidem, ut anxie metuamus, ne his, in quae incidimus, eheu! temporibus Evangelica veritas ab hostibus, quantumvis rabidis, destruatur & conculcetur. Habet enim Fides nostra, coelitus revelata, solidum & a Deo positum fundamentum 2 Tim. 2. 19. & propugnatorem providentissimum pariter ac potentissimum Matth. 16. 18. C. 28. 20. Attamen pergratum veris Dei cultoribus, quod non deficiant viri constantissimi, abominantes summam illam irreverentiam & inauditam antea proterviam, quacum sanctissimae veritates, pessimo exemplo, hodie tractantur, in primis a lucifugis illis sat notis. Laetabile profecto, quotiescumque & docti & recte animati coetuum sacrorum praefecti nomen dant tuendae publice ac honorandae veritati, quam contumelioſi sycophantae, ardoribus suis relicti, de vetere dignitate dejicere, & in contemtum adducere summopere allaborant. Tacendo non satis consulitur rei communi, quando illi exclamant speciosius instratos errores! ut in eosdem praecipites agant lectores.

In hoc insulso vituperandi typum doctrinae Biblicum pruritu; in hoc clamore, Theologiam systematicam abjiciendam, atque vagae illi,

quam

quam popularem dicunt, posthabendam esse; In hoc contemtu Hermeneuticae sacrae, ubi nullis opus esse legibus dictitant, quibus ad inveniendum genuinum verbi, ex divina suggestione profecti, sensum via panditur: In hoc tumultu, quo vagabundi ejusmodi interpretes facile abnegant *Deitatem Christi & Spiritus Sancti*, *exsistentiam labis originalis omnium omnino hominum*, *veritatem obedientiae Christi activae*, *qua nobis vitae aeternae gaudia promeruit*, *necessitatem fidei in Jesum Christum*, locum 1 Tim. 4. 10. pervertentes, &, ne ipsis contradicatur, *Tolerantiam* causantes, quam definiunt esse officium *Theologorum*, *tacendi*, quomodocunque ipsi multitudini imponant; In hac mirabili & imperiosa multorum, qui se Criticos & Philosophos appellant, sapientia, in hoc eorum conatu, deprimendi sacrae scripturae, quam a verbo Dei distingunt, auctoritatem; Dum vel ejus θεοπνευσίαν extenuant, vel ejus scriptoribus tot errores vulgi ac praejudicia affingunt, quibus admissis, studium eorum scripta legendi non potest non elanguescere; vel Codicem Sacrum mendorum maculis quam luminibus illustriorem esse venditant, cujus γνησιότης mutando textum, addendo, demendo, transponendo, ab ipsis restituenda sit, simul atque versio quaedam (depravatior) secus refert, aut obscuritas textus (putatitia) se offert, aut Manuscriptum obstat, (incertae aetatis & vitiosum, exercitii calligraphici ergo a quodam tirone imperito subinde perscriptum;) His, inquam, temporibus, oblatae adjutrices manus in defendenda veritate revelata nemini non, cui Religio revelata curae cordique est, non possunt esse gratissimae. P. P. Kilonii d. 27 Martii A. 1773.

ERRATA: P. 8. §. 3. *lin. 10.* lege *41. loco 4.* P. 12. *lin. 10.* lege *2. loco 3.* P. 15. §. 5. *lin. 13. significationis*, loco *significatus.* P. 17. §. 8. *lin. 4.* lege *17.* loco *12.* P. 30. in Schol. lin. 17. lege *lacus* pro *locus.* P. 38. §. 20. *fertilis* pro *fertilis.* P. 54. l. 16. *cometarum*, pro *cometaram.* P. 67. *quatenus* pro *quatenis.* P. 72. lin. 8. *munitissima* pro *manitissima.*

Dariesii premens, quorum prior *theologiam* posterior autem *jus naturæ* propinavit, donec ios Anno MDCCXLV. reversus est.

iam reduci, prævio tentamine, cathedram sa- endendi facultas ipsi data est, ex qua orationi- lum habitis assiduum se gessit, prætereaque ju- commissæ in litterarum, quas vocant humanio- omnem movit lapidem.

MDCCL. Hafniam profectus est, ab ecclesiaste, Sereniſſimi & Potentiſſimi Scandinaviæ, pri- nstruendos litterarum studiis suos nepotes ele- ficio integros aliquos per annos defunctus est, nsistorio Academiæ Hafnienſis, Regio Edicto , examinatus, a Clementiſſimo suo Monar- r verbi divini ad ecclesiam, quæ est Schott- efectura Hatterslebiensi Anno MDCCLVI. im- i est vocatus.

neri sacro ne per annum quidem præfuit com- m, sparta non quæsita, sed oblata, Anno ab ampliſſimo Flensburgensium Senatu, ad is S., proponendi in lingua Danica verbi divini itus, unanimique deinde suffragio creatus est.

vincia iterum anni non plene elapsi MDCCLIIX. antistes templi Mariani cathedralis processit: